GRAVAMINA EVANGELICORUM

ANNO DOMINI

M DC LXXXI.

IN GENERALI REGNI DIÆTA SOPRONIENSI SACRÆ CÆSAREÆ REGIÆQUE MAJESTATI

humillimè exhiberi decreta quidem,

verùm

ob certas rationes postmodùm compendiata.

GRAVAMINA EVANGELICORUM.

ANNO DOMINI M DC. LXXXI.

In Generali Regni Diæta Sopronienſi Sacræ, Cæſareæ Regiæque Majeſtati humillimè exhiberi decreta quidem, verùm ob certas rationes poſtmodùm compendiata.

In Comitatu Sopronienſi.



Um Loipersbachienſes Anno 1672. Die 4. Julii Concionatorem ſuum Hieronymum Chriſtophorum Fohmann Evangelicum, ex Mandato Illuſtrisſimi & Reverendisſimi Domini Georgii Szecheny, Archi-Epiſcopi Colocenſis, & Adminiſtratoris Epiſcopatus Jaurienſis &c. Poſonium deducere non potuisſent, ob infirmitatem ejus, qui tunc temporis lecto affixus tenebatur, ex post Judex, cum Juratis ſuis ab eodem Archi-Epiſcopo Rakoſinum citati, comparuerunt, ac in carcerem, causâ ipſis non indicatâ, deducti ſunt. Ex carcere verò cùm educerentur, quod factum Anno 1673. Die 20. Aprilis præſentatus ipſis fuit Catholicus Plebanus, ſeriâ admonitione, ut cum ipſo domum abirent, hoc verò recuſantes, denuò carcere terrebantur. Cùm verò idem Plebanus citiùs, quàm Judex & Jurati illuc veniſſet, alterâ die ad ſerium Mandatum ejusdem Archi-Epiſcopi januâ Templi reſeratâ & apertâ, claves Plebanus ad ſe recepit.

Anno 1673. ipſo Feſto S. Thomæ Apoſtoli, Centurio N. Schleicher ex Legione Woppingiana, concomitantibus eum ejusdem Domini Archi-Epiſcopi Officialibus, utpote Georgio Fabianich, & Matthiâ Ali, ſicut & Parochô Rakoſienſi, in Pagum S. Wolffgangi ad Civitatem Sopronienſem pertinentem, venerunt, ubi nomine & Mandato Suæ Majeſtatis Sacratisſimæ Templum ab eorum conſtituto Judice expetierunt; Cùm autem dictus Judex ſe præter ſcitum & voluntatem Dominorum ſuorum id præſtare recuſaſſet, prædictus Matthias Ali duas ſecures, neſcitur à quibus extortas, certis Inhabitatoribus ibidem tradidit, & eos cogere voluit, ut januam Templi effringerent. Quod cum iidem recuſaſſent, ex tunc milites ejusdem Woppingianæ Cohortis, circumdatô Templô, & occupatô cœmiteriô, cum præſentibus præmisſis Archi-Epiſcopi

hominibus, januam Templi aperire non potuissent, fremebundi quendam ex Germanis militibus per fenestram turris immiserunt, qui postmodùm ab intus fores templi aperiendo, mox idem Plebanus Rakosiensis campanis pulsatis Templum ingrediendo, taliter ab ipsis violenter occupatum est.

Anno 1673. Die 22. Decembris ante Natalitia Christi, Dominus Petrus Kusmich, ad Mandatum ejusdem Domini Archi-Episcopi Colocensis, Clerico quodam & Monacho Bondorffiense, imò & militibus stipatus, Agendorfium venit, hâc intentione, ut Templum ibidem occuparet. Cùm autem Judex ejusdem Loci humiliter institisset, ne absque præscitu Dominorum suorum, utpote Magistratus Civitatis aliquid molirentur, hoc non obstante, securibus & aliis instrumentis similibus Templi januam effringere conati sunt. Tandem adhibitâ scalâ, per fenestram intrarunt, & sic Catholicum Plebanum ipsis obtruserunt, consequenterq; Filiale Templum, quod in Bondorff est, violentiâ mediante per ipsos occupatum.

Anno 1673. Die 23. Decembris. Admodùm Reverendus Dominus Petrus Tormassy, Præpositus Capituli Castriferrei, cum aliis duabus personis Ecclesiasticis in Pagum Harka venit, postquam ex Legione Woppingiana biduo ante Vice-Colonellus Franciscus Mareschallus, cum prædicto Centurione Schleicher, & unâ cohorte militum in hunc Pagum collocatus fuisset, tunc prædictorum ibi constitutorum militum operâ & auxilio mentionatus Dominus Præpositus cœmiterium invadendo, fores Templi securibus, & aliis ad id aptis instrumentis effringi curavit, ac Judicem Pagi, eo tùm ibi præsentem, ipsemet Præpositus baculo iteratò percussit, quòd clavem Templi assignare noluerit; & sic violenter & effractivè occupato Templo, statim Parochum in Nyék pro Plebano violenter & præjudiciosè introduxit.

Anno 1674. Die 8. Januarii Præscriptus Dominus Archi-Episcopus ad Judicem, Juratos, & totam Communitatem Megyesiensem scripsit literas, significans, se crastinâ luce Megyesinum ascensurum, & visitationem Templi instituturum. Cùm itaque præfixâ die venisset, clavem Templi à Judice expetiit, acceptâ clave, ingressus est Templum, atque statim occupavit, Judicique injunxit, Prædicanti nomine ipsius seriò indicandum esse, & quidem sub pœna capitis, ne Templum ampliùs ingrediatur. Et ita è manibus Evangelicorum ereptum fuit, Die 9. Mensis & Anni præscriptorum.

Quoad ipsam Civitatem Sopronienſem.

Qualiternam in Possessionem Templi S. Michaelis, in Suburbio ejusdem Civitatis situati (quod tempore disturbiorum Bocskaianorum, Turcæ, Tartari, & alii ipsis adhærentes hostes occuparunt, ac mutilatis statuis, confractisque altaribus fœdè devastarunt, imò fistulis plumbeis ex Organo extractis, ac in formas globorum sclopetariorum transfusis, tandemq; comportatis subselliis, & unâ vel alterâ strue lignorum superingestâ incendere, taliterq; incendio

dio destruere, & penitùs pessundare destinarunt) Communitas Evangelica Regiæ ac Liberæ Civitatis Soproniensis, cum extremo discrimine vitæ, & periculo totius Civitatis, præmissos videlicet hostes armatâ manu expellendo, ac illud è manibus eorum reoccupando, devenerit, prolixum foret historicè referre. Quod quidem Templum, cùm etiam ante motus Bocskaianos compluribus annis alternativè per Catholicos & Evangelicos usurpatum, ac postmodùm subsecutis iisdem motibus, personisque Ecclesiasticis Catholicis desertâ Civitate, aliò sese recipientibus, & per Evangelicos Cives prævio modô, expulsis hostibus, & quidem non sine profusione sanguinis, & cæde Civium Evangelicorum (non autem, prout & ab aliquibus prætenditur, ejectis violenter Catholicis) recuperatum fuisset; subsecutâ postmodùm Pacificatione cum Bocskaio, eique adhærentibus, non multò post Reverendissimus quondam Dominus Demetrius Napragy, Episcopus Jauriensis uti Diœcesanus Sopronium veniens, totiusque exantlati periculi serie, ac constitutione illius temporis exploratâ, ob servatam legitimo Regi suo fidem, & præmissam repulsionem hostium, claves toties dicti Templi ipsemet eo tùm constituto Magistro Civium, Egregio & Circumspecto quondam Matthiæ Kramer, & per eundem Communitati Evangelicæ assignavit. Et quia attunc exiguus numerus Civium & Inhabitatorum Catholicorum in hac Civitate fuerat, neque pro ipsorum liberi exercitii usu magnæ capacitatis locus requirebatur, ex beneplacito partium Templum penes Plebaniam ad S. Spiritum vocatum, quod tunc plane desolatum, & sine tecto erat, sumptibus communibus Civitatis, maximâ ex parte, ut prædictum, ex Civibus Evangelicis constante, restauratum & exornatum, ac pro Civibus & Inhabitatoribus Catholicis destinatum fuit. Et sic Templum S. Michaelis postmodùm non modò penes Evangelicos solùm remansit, ac bona fide per ipsos possessum, ejusque usus sine interrupta serie continuatus; Verùm cùm etiam controversia quædam aliquot post illa tempora subsecutis annis, inter Plebanum Civitatis, tacitum quoddam Dominium in idem Templum sibi vendicantem, & Communitatem Evangelicam, occasione tàm in ipso Templo, quàm in cœmiterio admittendæ sepulturæ, & pulsûs campanarum, orta fuisset: Eadem sub Diæta, in Anno 1647. celebratâ, medio eorum Excellentissimorum Dominorum, Domini Johannis Draskovich Palatini, Domini Pauli Palffy Judicis Curiæ, & Magnifici Domini Thomæ Mikulich Personalis Præsentiæ &c. &c. &c. tanquam per Suam Sacratissimam Majestatem FERDINANDUM TERTIUM Gloriosæ reminiscentiæ ad id deputatorum Commissariorum, authoritate Regiâ decisa, Templumque tàm St. Michaelis, quàm alia, præ manibus Civium Soproniensium Evangelicorum attunc habita & possessa, liberè possideri etiam imposterùm relicta sunt, subsecutis insuper, & generaliter jura Evangelicorum confirmantibus ejusdem Diætæ Articulis, in quorumq; Dominio & reali usu, etiam consequenter iidem Evangelici

 persti-

perstiterunt. Imò cum deindè iterùm post aliquot annorum revolutionem, inter Reverendum quondam Dominum Franciscum Wittnyedy Parochum hujus Civitatis ut A. ac Senatum Communitatemque Evangelicam, uti J. nova quædam controversia, & differentia exquisitò sub colore, ratione & prætextu acquisitionis realis usus, Jurisdictionis, & Proventus Campanarum in Turri ejusdem Templi habitarum, exorta fuisset, qualiter post longas disceptationes, Juridicos institutos Processus, istorumque authoritate Palatinali pro parte Civitatis subsecutas inhibitiones, ea quoq; Controversia medio Suæ Sacratissimæ Majestatis Plenipotentiariorum, Reverendissimorum, ac Celsissimorum Dominorum, Domini Georgii Lippay Archi-Episcopi Strigoniensis, Domini Francisci Wesseleny Regni Palatini, ac Domini Georgii Szelepchény eotùm Colocensis, nunc verò Strigoniensis Archi-Episcopi in Anno 1658. Die ultima Octobris determinata sit, super his si necessum fuerit, authentica quoque produci possunt Literalia instrumenta, subsecuto similiter in Anno 1659. Regio Diplomate Conditione Sextâ, Juribus Evangelicorum indemnitatem promittente.

Ast cum in Anno 1674. Non solùm Magister Civium, Senatores, ac Cives & Inhabitatores Evangelici omnes, verùm & Ecclesiarum Ministri, Scholarum Rectores, eorumque Discipuli, ad personalem comparitionem ad Judicium Delegatorium Posonium, ad instantiam Fisci Regii citati fuissent, quomodò post hæc in cessionem omnium Templorum, prædicti videlicet S. Michaelis, cum Capella Hungarica, & Xenodochiali in Suburbio; Sancti Georgii verò in interiori Civitate, Scholarumque omnium, & similium, nec non proventuum universorum eò pertinentium, consentire debuerint Iidem Evangelici, docent hic adjuncta Indulti Regii Paria sub litera A.

Et licet tempore conclusionis cum eodem Fisco Regio, quidam conceptus accordæ in chartam positus fuisset (cujus Paria sub Litera B. habentur) deputatiq; ab Evangelica Communitate pro afferendo à Principalibus suis super conclusis punctis consensu & ratificatione, Viennâ domum missi fuissent, intra paucosque dies iidem deputati Viennam reversi, cum sibi nihil aliud persuasum habuissent, quàm quod juxta factam conclusionem, absq; omni immutatione conformem expeditionem, ex Cancellaria Regia Hungaria sint obtenturi, ex tunc ad Dominum Aulæ Hungaricæ Cancellarium Reverendissimum quondam Dominum Thomam Palffy venientes, jam invenerunt præmissum sub Litera A. Indultum, mutatô in multis locis stylo & sensu, in Pargamena purè descriptum: Cumq; auditâ perlectione ejusdem, iidem deputati difficultatem demissè injecissent, non concordare in omnibus istam expeditionem, cum domum transmisso, & per Senatum Communitatemque Evangelicam satis difficulter, & nonnisi, cum aliter fieri non potuerit, consentientem, remissô conceptu, responsum obtinuerunt: Hæc omnia, prout

in

in purum descripta sunt, esse concepta singulari consilio, & proinde si taliter velint Deputati Evangelicorum acceptare, bene quidem, si non, relinquant. Ubi miseri Deputati sese mutuò aspicientes, ac dubii, quidnam ipsis facto opus sit, tandem existimârunt, præstare, se habere aliquid, quàm nihil; depositaque Trecentorum florenorum Cancellariæ Hungaricæ pro hujus Indulti expeditione, taxâ, illud ad se receperunt, & domum sollicitâ mente reportarunt. Quamdiu autem Evangelici firmitati hujus Indulti innixi, suos Concionatores in Civitate retinere, ipsorumq; ministeriis frui potuerint, patet ex adjunctis Paribus sub literâ C. Qualem etiam firmitatem in fruendo exercitio Religionis, extra urbem jam tunc relegato, promittere sibi potuerint Evangelici Soproniensés, indè poterant præsagire, quòd alterâ statim septimana, post adventum suæ Ecclesiæ Ministrorum in Civitatem Kismarton, Plebanus & Senatus illius loci per suos deputatos denunciarint, iisdem Ministris, prævio modo illuc translatis, Civitati in mandatis datum, ne ullum hominem ad hoc exercitium Religionis, nisi Consiliarios, & Ministros in Aula Cæsarea degentes, & Austriacam Nobilitatem, admitterent; exclusis adeò ipsis quoq; Soproniensibus. Accederet & hoc, quod licet in memorati Regii Indulti Puncto ultimo per expressum haberetur, quod nemo ex Civibus & Inhabitatoribus Augustanæ Confessionis Soproniensibus, modernis & futuris, cujuscunq; sexus aut ætatis, ad Catholicam Religionem invitus cogi aut compelli debeat: Nihilominus tamen, qualiter in Anno 1677. per iterata Mandata, eaque feria, ut mechanici Evangelici in Cehis constituti Processionibus pro Festo Corporis Christi, ejusq; Octavis interesse debeant, sub amissione Privilegiorum Cehalium demandatum fuerit, ex iisdem Mandatis lucidiùs constat.

A.

NOs LEOPOLDUS &c. Memoriæ commendamus tenore præsentium significantes, quibus expedit universis. Quod posteaquam his diebus & temporibus, occasione certarum quarundam querimoniarum, & prætensionum, ad instantiam Fisci nostri Regii, fideles nostri, Prudentes & Circumspecti, Magister Civium, Judex, & cæteri Jurati Cives & Senatores, totaque Communitas Liberæ & Regiæ Civitatis nostræ Sempronienfis, medio Tribunorum plebis ipsius, unâ cum Prædicantibus, Scholarum Rectoribus, Companis, & aliis similibus Incolis ejusdem Civitatis, ad terminum Judiciorum Delegato extra-ordinariorum pro quinta die proximè affuturi Mensis Martii, Anni præsentis infrascripti, in Liberam ac Regiam Civitatem nostram Posoniensem præfixam, in præsentiam fidelis nostri nobis sincerè dilecti, Reverendissimi in Christo Patris, Domini Georgii Szelepcheny, Archi-Episcopi Ecclesiæ Metropolitanæ Strigoniensis, Locique & Comitatus ejusdem Supremi ac Perpetui Comitis, Primatis Hungariæ, Legati nati, ac Secretarii, Cancellarii,

Con-

Conſiliarii noſtri intimi, ac per Regnum noſtrum Hungariæ in Judiciis Locumtenentis noſtri Regii perſonaliter fuiſſent citati & evocati, priusquàm tamen dictus Fiſcus noſter Regius ad ulteriora judicialiter proceſſiſſet, iidem Cives & inhabitatores Sopronienſes, medio Supplicis ipſorum Libelli, ad Majeſtatem noſtram humillimè confugiendo demiſsè ſupplicaſſent, quatenùs rigorem Juris lenitate clementiæ temperare, cauſamque præſentem placidioribus mediis accommodari facere dignaremur. Undè etiam præfati Cives pro evitando tàm arduo & oneroſo contra ſe inſtituto proceſſu, ut tantò magis petita eatenùs gratiâ noſtrâ ſe idoneos & habiles exhiberent, in præſentia dilectorum nobis fidelium, Reverendorum Thomæ Palffy ab Erdöd, Epiſcopi Eccleſiæ Nitrienſis, Locique & Comitatus ejusdem Supremi ac perpetui Comitis, nec non Aulæ per Regnum noſtrum Hungariæ Cancellarii, & Comitis Leopoldi à Kollonich, Epiſcopi Eccleſiæ Neoſtadienſis, Ordinis Sancti Johannis Hieroſolymitani Equitis, Commendatoris in Meilberg, Cameræ noſtræ Hungaricæ Præſidis, & Conſiliariorum noſtrorum, mediantibus certis ad Aulam noſtram Cæſaream Ablegatis ſuis, fidelibus utpotè noſtris, Prudentibus & Circumſpectis, Johanne Serpilio, altero Johanne Andreâ Preining, & tertio Johanne Honorio Mezger, Senatoribus, item Abrahamo Sobitsch, Johanne Katter, pariter Johanne Jacobo Fohmann, Tribunis Plebis, nec non Zacharia Maus, ex ſelecta Communitate cum præfato Fiſco noſtro Regio negotium hocce conferendo, ſequentia Puncta nobis pro benigna annuentia, & conſenſu noſtro Regio demiſsè præſentaſſent. Primò. Quod omnia Templa, Capellas, Beneficia, Cehas, Domos Parochiales & Scholas antiquitùs habitas, unà cum pertinentiis & paramentis à Catholicis quondam procuratis, de præſenti exiſtentibus, cujuscunq; generis, & quocunq; nominis vocabulo vocitatis, ad præfata Templa & Capellas, Beneficia, Cehas, Domos Parochiales & Scholas ſpectantibus, bonâ fide producendis, Fiſco noſtro Regio, vel hominibus per Cameram noſtram Hungaricam deputatis, ipſo facto reſtituere & reſignare velint. Secundò: Quod Prædicantes, Capellani, Ludi Magiſtri, prout & Companones intra quindenam è Civitate, & Suburbiis ejusdem Civitatis Sopronienſis perſonaliter excedere; permanere verò cupientes, mediantibus Reverſalibus ſuis à Fiſco Regio formandis, Prædicantiſmo, ac aliis muneribus ac functionibus ſuis, tàm Eccleſiaſticis, quàm Scholaſticis, donec ibidem commorabuntur, renunciare, ab iisdemque officiis ſub pœnâ notæ infidelitatis ipſo facto incurrendæ in perpetuùm abſtinere parati ſint. Tertiò. Quod domum quondam Wittnyedianam ibidem in dicta Civitate Sopronienſi, & contiguâ vicinitate Templi S. Georgii exiſtentem & adjacentem, ſimul cum cunctis ſuis utilitatibus & pertinentiis quibuslibet, & quicquid juris in eadem, & iisdem habuisſent, aut ſeſe habere poſſe ſperaſſent, iidem Cives & Inhabitatores Sopronienſes Auguſtanæ ſcilicet Confeſſionis homines dicto

Fiſco

Fisco nostro Regio applicando de plano & simplici, perpetuoque possidendam pariter & habendam cedere velint; E converso idem Fiscus Regius ipsis spem fecerit, à præfatæ Suæ Majestatis gratia & benignitate sequentia impetratum iri; Et primò quidem, ut in certo loco à Sua Majestate Cæsarea & Regia clementer determinando, duo Prædicantes ad nominationem memoratorum Civium Semproniensium, nunc & in futurum succesfivis temporibus observandam, pro exercitio Religionis, tàm Regiorum, quàm Principum, ac Statuum Imperii Ablegatorum, Consiliariorum Imperialium Aulicorum, Residentium & Agentium, nec non aliorum etiam Augustanæ Confessionis hominum, tolerentur. Qui quidem duo Prædicantes, prævio modo nominandi, usque ad assignationem præscripti loci in annotatâ Civitate manere, & in domo privatâ per eos, quorum intererit, ibidem eligendâ, exercitium suæ Religionis habere permittantur. Et quoniam quoque Domina Principissa Eggenbergiana nunc Sopronii habitaret, ideò quàm diu ibidem manserit, pro Religionis suæ exercitio, unum Prædicantem domi suæ intertenere possit, cui exercitio ex permissione ejusdem Principissæ Civibus quoque & Inhabitatoribus prædeclaratis Augustanæ Confessionis interesse liceat, ita etiam iisdem Civibus & Inhabitatoribus prædeclaratis annotatæ Civitatis honesta sepultura in cœmeterio concedatur. Fundationibus & piis legatis, tam eorundem Civium & Inhabitatorum prædeclaratorum, quàm extraneorum, & paramentis per eosdem comparatis, pro ipsorum usu integrè permanentibus, uti & hospitali & Xenodochio tam Catholicis, quàm Augustanæ Confessionis hominibus utrinque communibus relictis. Secundò. Ut in locum præmentionatæ Domus quondam Wittnyedianæ, antefatus etiam Fiscus Regius aliam Domum ibidem in Civitate, plateaque S. Georgii vocata habitam, in qua nunc memorata Principissa Eggenbergiana residet, iisdem Augustanæ Confessionis Civibus & Inhabitatoribus jure perpetuo possidendam tradat & assignet, per sæpefatum Fiscum Regium ab oneribus & debitis supra jacentibus omnimodè liberandam & eximendam. Tertiò. Ut idem Fiscus Regius universas suas querimonias & prætensiones, processusque causæ superindè institutos, ratione quorum dicti Cives & Inhabitatores Sopronienses, cujuscunque Status & Conditionis existentes, ad instantiam ejusdem Fisci Regii ad proxima Judicia Extraordinaria, conjunctim vel sigillatim fuerunt citati & evocati, deponere, easdemque in perpetuum ex gratia abolere & cassare possit, ita ut ratione earundem prætensionum & querimoniarum, neque in præfato termino extraordinario, neque in aliis futuris Judiciis ordinariis vel extra ordinariis ullo unquam tempore in rebus aut personis impeti & molestari valeant; verùm ab iisdem totaliter enodati habeantur. Hoc etiam addendo, & per expressum declarando, quod nemo ex toties fatis Civibus & Inhabitatoribus Augustanæ Confes-

ſionis Sopronienſibus, modernis & futuris, cujuscunque ſexus aut ætatis, ad Catholicam Religionem, aut verò emigrationem invitus cogatur & compellatur, ſponte verò emigrare volentibus, licet Prædicantes, Ludi-Magiſtri, vel Compani fuerint, res ſuas liberè divendere & abalienare, unà cum literis Salvi paſsûs, qui easdem expetierint, exire permittatur. Quibus Punctis ſupra notato modo & forma Majeſtati noſtræ præſentatis, prædicti Ablegati memoratorum Principalium ſuorum nominibus, ſummâ cum demiſſione apud nos inſtiterunt, quatenus prætacta eorum omnia & ſingula puncta nobis humillimè propoſita, rata, grata, & accepta habentes, ratificare, approbare & clementer confirmare vellemus; Proinde nos quoque demiſsâ eorum inſtantiâ & ſupplicatione benignè exaudiatâ & admiſsâ, prænotata puncta, rata, grata, & accepta habentes, eadem Cæſarea & Regia authoritate noſtra, quoad omnes & ſingulas eorum clauſulas & articulos approbavimus, ratificavimus, & confirmavimus, ita tamen, ut cum hæc omnia ex mera gratia benignè conceſſerimus, dicti Auguſtanæ Confeſſionis homines Sopronii commorantes & commoraturi tranquillè & pacificè vivant, ſeque tales, quales erga ſuum Regem & naturalem Principem decet, præſtent: eaque omnia, ad quæ ſe paratos juxta tenorem dictæ ſuæ propoſitionis declarant, adimplere teneantur. Imò acceptamus, approbamus, ratificamusque & confirmamus. Harum noſtrarum Secreto Sigillo noſtro, quô ut Rex Hungariæ utimur impendenti, communitarum vigore & teſtimonio literarum. Datum in Civitate noſtra Vienna Auſtriæ, Die vigeſimâ tertiâ Menſis Februarii, Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Septuageſimo & quarto, Regnorum noſtrorum Romani, Decimo Sexto, Hungariæ & reliquorum Decimo Nono, Bohemiæ verò Anno Decimo Octavo.

LEOPOLDUS

(L.S.)

THOMAS PALFFY.
Epiſcopus Nitrienſis.
STEPHANUS ORBAN.

Nos

B.

NOs LEOPOLDUS &c. Quod posteaquàm proximè evolutis diebus, occasione certarum quarundam querimoniarum ac prætensionum, Fiscus noster Regius fideles nostros Magistrum Civium Senatores, totam Communitatem, alios Inhabitatores, prout & Ecclesiarum Ministros, Scholarum Rectores, eorumque Discipulos, omnes scilicet Augustanæ Confessioni addictos, pro quinta die affuturi Mensis Martii ad Judicia Delegatoria Extra-ordinaria in præsentiam Locumtenentis nostri Regii Posonium, ad personalem comparitionem citari & evocari fecisset, ipsique medio Supplicis sui Libelli ad Majestatem nostram recurrendo, in eo humillimè institissent, quatenùs negotium hoc vel leniori viâ accommodari facere, vel verò numerum citatorum ad certos è medio sui deputandos restringere dignaremur. Nos humillima eorum supplicatione exauditâ & admissâ, Cæsarea & Regia Clementia ducti, cum insuper fidelis nobis sincerè dilectus (tit.) Archiepiscopus Colocensis &c. quantum ad templa & scholas, aliaque beneficia olim à Catholicis fundata, hactenùs verò per dictos Cives Augustanæ Confessionis possessa, & tenta, pro Inhabitatoribus Catholicis antiquiùs jus prætendisset, volentes huic quoque multarum contentionum & adversitatum fomitem extinguere, placidiorem tractationem benignè admisimus, quæ interveniente (salvo pleno titulo) Reverendissimorum Dominorum Thomæ Palffy Aulæ Hungaricæ Cancellarii, ac Comitis Leopoldi Kollonich, Cameræ Hungaricæ Præsidis, tanquam Mediatorum diligenti interpositione & cooperatione, tàm ex parte memorati Fisci nostri Regii, & prænotati Archiepiscopi, tanquam Diœcesani, quàm verò ex parte Eorundem Civium Soproniensium, coram Cancellaria nostra Aulica Hungaria in certis punctis comprehensa, taliter sequitur: & quidem quoad postulata Fisci nostri, & Archi-Episcopi.

Primò. Ut omnia Templa, Capellas, Beneficia, Czechas, Domus Parochiales & Scholas antiquitùs habitas, unâ cum pertinentiis & paramentis, à Catholicis quondam procuratis, de præsenti existentibus, cujuscunque generis, & quocunque nominis vocabulo vocitatis, ad præfata Templa & Capellas spectantibus, bona fide producendis, Fisco Regio, vel hominibus per Inclytam Cameram Suæ Majestatis Hungaricam deputatis, ipso facto restituere, & reassignare teneantur.

Secundò. Resignatis superiùs specificatis resignandis, Prædicantes, Capellani, Ludi Magistri, & Scholarum Alumni intra quindenam è Civitate & Suburbiis ejusdem Civitatis Soproniensis personaliter excedere; permanere verò cupientes, mediantibus Reversalibus suis, à Fisco Regio formandis, à Prædicantismo, ac aliis muneribus & functionibus suis, tàm Ecclesiasticis, quàm Scholasticis, donec ibidem commorabuntur, renunciare, ab iisdemque officiis, sub pœnâ notæ infidelitatis, ipso facto incurrendæ, in perpetuum abstinere sint

 obli-

obligati & obstricti. Emigraturis verò licebit res suas liberè divendere ac distrahere, quibus petentibus etiam salvus conductus, quoad personas & res suas non denegabitur.

Tertiò. Quod quicquid Juris haberent, aut sese habere posse sperarent, in domo Wittnyediana, & pertinentiis ejusdem, ibidem in dicta Civitate Soproniensi existente, Templo S. Georgii contigua, iidem Cives & Inhabitatores Augustanæ Confessionis, simpliciter cedent, Fisco Regio applicanda.

E converso verò, ex speciali nostra gratia in horum præmissorum respectum, Fiscus etiam noster Regius, ad hæc sequentia Puncta condescendit, & quidem:

Primò. Quandoquidem Regum, Principum, ac Statuum Imperii ablegatis, Consiliariis, Residentibus, & Agentibus, nec non Augustanæ Confessionis hominibus, certus quidam locus, pro libero Religionis suæ exercitio, admittitur, ob hoc in certâ domo per dictos Cives & Inhabitatores Sopronienses Augustanæ Confessionis addictos, ad id eligenda in præmentionata Civitate Soproniensi, liceat ipsis tàm diu liberum Religionis suæ exercitium habere, ac duos Prædicantes, quoscunque voluerint, denominandos & vocandos intertenere. Si verò alium locum propè Civitatem determinare Majestati nostræ visum fuerit, ibi quoque duos Prædicantes similiter nominandi ac vocandi, adeòque Jus Patronatus in illum locum semper eisdem Civibus & Inhabitatoribus Evangelicis, quorum scilicet ex ipsis intererit, potestatem & facultatem clementer concedimus.

Insuper cum Dominæ quoque Principissæ Eggenbergianæ, nunc Sopronii habitanti, quàm diu ibidem manserit, pro Religionis suæ exercitio, unum Prædicantem, domi suæ intertenere, concessum sit, ipsius Sacris interesse, ex permissione Ejusdem Principissæ Civibus & Inhabitatoribus Evangelicis liberum erit. Ità etiam iisdem honesta sepultura, in communi cœmiterio, juxtà hactenus observatum modum gratis conceditur: Fundationibus quoque & piis legatis Evangelicorum, tàm Civium & Inhabitatorum, quàm Extraneorum, unà cum apparamentis & ornamentis Ecclesiasticis per se comparatis, pro ipsorum usu integrè permanentibus, uti & Hospitali & Xenodochio (vulgò Lazareth) prout hactenus tàm Catholicis quàm Evangelicis, utrinque communibus relictis.

Secundò. In locum præmentionatæ Domus Wittnyedianæ antefactus etiam Fiscus noster Regius, aliam domum ibidem in Civitate plateaque prædicta S. Georgii habitam, in qua nunc antelata Domina Principissa Eggenbergiana residet, iisdem Augustanæ Confessionis Civibus & Inhabitatoribus Soproniensibus Jure perpetuo possidendam pariter & habendam tradit, per eundem Fiscum nostrum, ab oneribus & debitis suprajacentibus omnimodè liberandam.

Tertiò,

Tertiò, & ultimò. Fiscus noster Regius universas suas querimonias & prætensiones, processusque causæ superindè institutos, ratione quorum iidem Cives & Inhabitatores Sopronienses, ad proximè Posonii celebranda Judicia Extraordinaria, conjunctim vel singillatim cujuscunque Status & Conditionis existant, ad instantiam ejusdem Fisci nostri Regii fuerunt citati & evocati, in perpetuum cedit, cassat, & annihilat, ità ut ratione earundem prætensionum & querimoniarum, neque in præfato termino Extraordinario, neque aliis futuris Judiciis, tam ordinariis quàm extraordinariis, ullo unquam tempore, in rebus aut personis impetentur, aut molestabuntur, taliterque omnimodè absoluti pronunciantur; hoc etiam addito, & per expressum declarato, quòd nemo ex toties fatis Civibus & Inhabitatoribus Augustanæ Confessionis Soproniensibus, modernis & futuris, cujuscunque sexus & ætatis, ad Religionem Catholicam, aut verò invitus ad emigrationem cogentur & compellentur. Spontè verò emigrare volentibus, res suas liberè divendere & abalienare, modoque præmisso è Regno, unà cum literis salvi Passus, qui easdem expetierint, exire permissum sit.

Actum Viennæ Austriæ Die 15. Mensis Februarii Anno 1674.

C.

SAcratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis Domini Domini nostri Clementissimi nomine, Fidelibus nostris Prudentibus & Circumspectis Magistro Civium, Judici, cœterisque Civibus juratis & Senatoribus, totique Communitati Liberæ Regiæque Suæ Civitatis Soproniensis perbenignè intimandum.

Quod posteaquam Die 23. præteriti Mensis Februarii Anni currentis infrà scripti, suprà fati Cives, medio certorum Ablegatorum suorum, sufficientibus Credentionalibus & Plenipotentialibus literis instructorum, nonnulla puncta, Religionis exercitium concernentia, altè nominatæ Suæ Majestati pro benignissima annuentia, & consensu Regio demissè præsentassent, ac inter ea, primum illud, ut in certo loco à Sua Majestate Cæsarea & Regia clementer determinando, duo prædicantes, pro jam fato Religionis exercitio, respectu tàm Regiorum, quàm Principum ac Statuum Imperii Ablegatorum, Consiliariorumque Imperialium Aulicorum, Residentium & Agentium &c. tolerentur.

Pro prætacto loco à summè memorata Sua Majestate, Liberam pariter ac Regiam Civitatem Suam Kismarton, seu Aiszenstad, in Comitatu Soproniensi existentem habitam, clementer designatam & denominatam esse.

Undè præfatis Civibus Soproniensibus præsenti Regio Decreto, benignissimè simul ac seriò demandari: quatenus præfatis punctis modo suprà declarato Suæ Majestati Sacratissimæ pro benigna annuentia humillimè propositis, ac post etiam obtentis & acceptatis, ac authenticè ex hac Cancellaria Regia extractis,

 tractis,

tractis, se ulterius obsequenter accommodare: mentionatosque duos Prædicantes, qui hactenus in medio ipsorum habitassent, ad determinatum jam à prætitulata Sua Majestate locum, seu prædictam Civitatem Kismarton, aliter Aiszenstad mittere: ac ut illuc dicti Prædicantes quantocyus, ab hujus scilicet exhibitione Decreti, intra triduum se transferant: ibidemque in domibus, per Senatum Civitatis illius designandis, pro toties fato exercitio suæ Religionis peragendo maneant, & tranquillè ac pacificè vivant, relegare, neque ultra eosdem ibi tolerare debeant ac teneantur.

Id quod pro demisso debitæ suæ erga toties memoratam suam Majestatem fidelitatis ac devotionis obsequio, absque ulla tergiversatione & mora exequi noverint, sæpefati Jurati Cives, ac tota Communitas Liberæ Regiæque Civitatis Sopronienfis. Quibus in reliquo sæpè nominata Sua Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, solita gratia, benignitateque propensa manet.

Per Sacratissimam Cæsaream, Regiamq; Majest.

Viennæ Die 21. Mensis Septembris An. Domini 1674.

Thomas Palffy Episcopus Nitriensis.
Stephanus Orban.

Egregii olim Stephanus Rabbi & Sigismundus Pasztory, nescitur cujus mandato, assumptis certis equitibus Croaticis, in & ad Possessionem Egyhazas falu vocatam irruentes, Templum loci dicti, cum Filiabus Daszti falua, nec non Kis & Nagy Völcsey, ac Gogan falva occuparunt: Ministri Ecclesiæ universas res mobiles diripuerunt, ipsum incaptivarunt, ad terram prostrârunt salis lapides super eundem posuerunt, & eo usque feriebatur, tundebatur, donec dextrâ datâ, se Religionem mutaturum obligasset.

Templa in Possessionibus: Locsmann, Szakony, Czava vulgò Stob. Petersdorff. Walbersdorff seu Borboyla. Veperd. Bük. Nemes Ladony cum Filialibus Tompahaza, Beregh allya, Porládon, Mester-haza. Saag cum Filiali Sima-haza. Locs cum Filialibus Berény & Hettye. Szemere. Nemesker. Geresd cum Filiali Janosfa, Csaford & Kall.

In Oppido Rust, unà cum Cœmeterio, Parochiis item ac Scholis, armatis manibus universa sunt occupata.

Item in Districtu Rabaköz Parochia & Ministerium in Beled, Templa in Mihaly cum Filialibus Vadosfa & Kisfalud. Keresztur. Nemethy. Farad. Sarkany. Egyed. Szent Andras. Pordany. Bodony helly.

Partim

Partim ipsi Domini Terrestres, partim verò Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Colocensis, mediantibus Admodum Reverendis Dominis, Petro Tormassy Præposito, & altero quondam Paulo Lorant Ecclesiæ Castriferrei Canonico, adjunctis iisdem, & missis quibusdam militibus Germanicis, unà cum Parochiis, Scholis, & reliquis appertinentiis violenter occuparunt.

Modernus Præpositus Csornensis, Reverendissimus Dominus Franciscus Jany in Rabaköz, Colonos suos Cis Rabam habitantes, proximè præteritâ Quadragesimâ, indictâ pœnâ, aliis triginta, aliis quadraginta florenorum, ad confitendum coëgit, partim obtinuit; reluctantes verò, & nominatam pœnam adnumerare nolentes, in squalidum carcerem detrusit: Ibidemque tam diu torsit, quàm diu suo potiretur voto.

Similiter Andreas Mikloffy Arcis Kabold, & Bonorum Excellentissimi Comitis Regni Hungariæ Palatini Provisor, plerosque Colonos seu Ibbagiones, ad Arcem Kabold pertinentes, præteritâ hyeme, dum summa extremaq; frigora sævirent, convocavit, ibidemque in certâ Domo eosdem tribus diebus, detractis omnibus eorundem vestimentis conclusit, qui jam frigore correpti & semimortui, Religionem Catholicam amplecti sunt coacti.

Joannes Vibegius Minister Locsmaniensis Anno 1673. Die 13. Octobris exturbatur in exilium, cujus 58. urnas vini Illustrissimus ac Reverendissimus Archiepiscopus Colocensis occupavit, pro seque retinuit.

In Comitatu Castriferrei.

CIs Fluvium Mura situata Templa cum Parochiis, Scholis &c. utpotè: Felsö Lindvaiense occupavit Domina Comitissa quondam Sara Draskovich: Muray Szombatense Templum, Parochiam & Scholam, Comes quondam Georgius Szechy, dictæ Comitissæ Filius.

Præterea jam mentionatus quondam Georgius Szechy, adjungens sibi Georgium Polcerum Plebanum Felsö Lindvaiensem, dum jam universa plebs Sacræ Concioni attenderet, Templum Szent Györgyiense, aliter Viz Lindvaiense, cum tota Cohorte Aulica, instructus sclopetis & bombardis adortus, occupavit; Nonnullis ibidem Colonis suis interfectis, aliis ad sanguinem usq; percussis, nonnullis spoliatis, ac ferè nudis relictis. Hoc egregiò certamine peractô, venit unà cum complicibus suis ad Templum Tisziniajense, quod etiam similem expertum est sortem. Pari ratione actum est cum reliquis Templis in Territoriis & Bonis suis, ut potè cum Martianiz. Dolniciensi. Lakiensi. Szent Illonayensi. Sanctæ Annæ, Csöpincz. Szent Sebestiniensi cum Parochiis, Scholis & reliquis appertinentiis. Ministri in præfatis Parochiis, universis suis seminaturis & frigibus sunt privati, pulsi & ejecti.

In eo quoque conqueruntur Evangelici ex Familia Kisfaludy, quod licet in Possesione Niczk Templum concursu ejusdem Familiæ extructum sit, parati quo-

quoque essent in restauratione ejusdem ulterius concurrere; Ubi etsi suas sepulturas ab antiquo haberent, tamen non permittitur sepultura, nisi à singulo cadavere 25. floreni exsolvantur, summo præjudicio eorundem.

Templa Dobrajense circa fluvium Raba, Szent Martoniense, Szolnokiense, Admodùm Reverendus Matthias Radonay, Abbas & Capitaneus Szalavariensis occupavit.

A Raba fluvio versus Szent Gotthard incipiendo, præcipuè in Ditionibus Illustrisſimorum Comitum Bottyany plurimi Ministri ex Ecclesiis sunt expulsi, Templa, Parochiæ, & Scholæ sunt occupata, atque Plebanis Catholicis assignata.

Puszta Szent Mihaliensis, Samfalvensis, cum Filiali Belgersdorff. Bürgiensis cum Filialibus Badersdorff, & Bockendorff, Kukmeriensis. Wolffauiensis. Kiczladiensis.

In Possessione Szulczrigel certum horreum pro usibus Sacris, unà cum Domo in Possessione Jormansdorff pro Concionatore comparata. Inczenhoviensis. Hidegkutiensis. Szentkeresztiensis. Gödriensis. Königsdorffiensis. Raba Szent Mihalyensis. Hidvigiensis. Szöcseiensis. Nadasdiensis. Szent Tamasiensis. Sz.Lenardiensis. Dozmatiensis. Bucsuiensis. Szent Kiralyiensis. Perenyiensis. Naraiensis.Oeriszigetiensis. Kotaviensis. Sennyejensis. Kopacsiensis. Karoly Patiensis. Trestenfalvensis. Szent Jvanfalvensis. Nemes Csoiensis, cum Filiali Puszta Cso. Nagy Patiensis. Aszonyfalvensis. Meszleniensis. Acsadiensis. Vatiensis. Szilvadiensis. Szecseniensis. Bögödiensis. Szarvas Kendiensis. Csanigiensis. Quæ ferè omnes per Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Archiepiscopum Colocensem sunt occupata.

Itidem Nemeth Genesiense, Poseiense, & Doroszloiense Templa, Parochiæ, Scholæ &c. per Illustrissimum Comitem Petrum Szécshy sunt occupata, Ministri Evangelici ejecti.

Toties fatus Illustrissimus Archiepiscopus Colocensis stipatus aliquot Equitum Turmis, in & ad Possessionem Sopte vocatam irruendo: Templum per serarium aperuit & occupavit. Triduò evolutò, dùm Serarius ad reparandam Januam, patente Templo, cum quodam Capitulari illuc venisset, Incolæ loci, maximè fœminæ Sacerdotem non admiserunt: Ob hoc à prætacto Domino Colocensi ad Personalem, tàm Virorum, quàm fœminarum comparitionem Posonium sunt citati. Ubi terrore amissionis Capitis ad dandas Cessionales super eodem Templo inducti fuere.

Pari ratione penes Fluvium Repeze Templa, Szent Gyorgyiense, Gvariense, Szelestiense, unà cum Parochiis, Scholis &c. ab Evangelicis sunt ablata, in negotio præcipuum se præstitit Generosus Dominus Johannes Horvath de de Szent Gyorgy.

In Oppido Körmend, Templum Scholam, & Domum Parochialem Helveticæ Confessionis, unà cum universis Agris & Pratis ab eorundem Prædecesso-

cesso-

cessoribus, pro intertentione suorum Ministrorum, Scholæ Rectorum & Studiosorum testamentaliter legatis. Item duabus Campanis pretio Evangelicorum comparatis, Admodùm Reverendissimus Dominus Petrus Tormassy, Præpositus Capituli Castriferrei, associatio sibi Domino Francisco Kaldy, occupavit: Ministrum, nec non Scholæ Rectorem & Studiosos contumeliosè affectos, exturbavit.

Similiter Templa, Scholas & Domos Parochiales, unà cum Campanis, Agris, Pratis, & universis appertinentiis Evangelicorum in Oppidis & Possessionibus: Csakany. Szecsöd. Hollos. Radocz. Szent Lörincz. Taplansa. Kaid. Kis Kaid. Polyan. Kapolnas falu. Tot falu. Kis Unyom. Uyfalu. Nagy Unyom. Balogh fa, Köveskuth. Saal falva. Felsö Surany, Böd & Jvancz. Idem Dominus Præpositus, cum sibi associatis plurimis Hungaricis & Germanicis Militibus, armatis manibus violenter occupavit. Ministros & Scholarum Rectores eorundem locorum exturbavit, rebus nonnullorum in prædam conversis.

Nec absimiliter idem Dominus Præpositus Petrus Tormasy ex instigatione & commissione prænentionati Archi-Episcopi Colocensis in Anno 1663. circa Festum Omnium Sanctorum, associans sibimet quingentos milites Equestris Ordinis Germanos, in Oppido Felsö Or non solùm Templum, Scholam, Turres, & Campanas, unà cum universis appertinentiis occupavit; Verùm etiam Ministrum & Ludi Magistrum Helveticæ Confessionis ejusdem loci, exutis omnibus bonis expelli; Parochialem Domum funditùs demoliri: Sed & miseram Plebem verbari, vulnerari; Domos eorundem Nobilitares invadi, plurimorum universas res in prædam converti; Juratos ejusdem loci incaptivari; vestibus omnibus denudari, & nudos barbatenus trahi, ac in quoddam vacuum Cellarium occludi, sicque ad mutandam Religionem Evangelicam compelli curavit.

Item: Archiepiscopus Colocensis Templum Bosokiense invadens, & secum in Carpento peltas & secures gerens, assumensque easdem, manibus famulorum suorum tradidit, quibus januam ejus Templi in frusta secuerunt, intrarunt, & unà cum omnibus appertinentiis occuparunt.

Passu pari Rohonczenses Evangelici in Eadem Possessione Bosok duas Sessiones Colonicales, cum adjacente horto, & certa parte terræ arabilis pro usu Templi & Parochiæ emerant, eas etiam Sessiones, unà cum reliquis Templi bonis occuparunt.

Pro Rohonczensibus quoque & Pinkafeldiensibus facultas Exercitii adempta est; Ideò juxta Leges Patrias loca sufficientia iisdem exscindantur ibidem ubi degunt.

In Regia ac Libera Civitate Köszeghiensi, Annis ab hinc circiter decem, Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Georgius Széchény Archiepisco-

C pus

pus Colocensis adscitis sibi nonnullis Magnatibus, potioribusque Nobilibus Comitatuum Sopronienſis & Castriferrei, Templum Germanicum Evangelicorum in dicta Civitate Köszegh exstructum, calices & alia accessoria, primò quidem irrito successu occupare tentavit; Postmodùm verò etiam militia Germanica ex Saárvar educta, & in eandem Civitatem inducta, adhibitisque quibusvis fortioribus modis & mediis, cum omnibus Proventibus Parochialibus, in rationem duorum Ecclesiæ Ministrorum cedere solitis occupavit. Post hujus facti annualem revolutionem, idem Dominus Archiepiscopus quingentorum militum Germanorum manu stipatus, Templum quoque Hungaricum ibidem habitum, nec non locum cœtui Germanico, post occupationem præscripti prioris Templi, pro Exercitio cultus Divini deservientem, januis eorundem fustibus perfractis, unà cum omnibus appertinentiis & accessoriis; duabus item Domibus habitationi duorum Ecclesiæ Ministrorum destinatis, nec non Capella, cœmiterio extra urbis mœnia habito, aliisque Proventibus, Ministris etiam Ecclesiæ & Rectoribus ex Civitate ejectis occupavit.

Sed nec his contentus idem Dominus Archi-Episcopus: verùm insuper etiam Patres Jesuitas in dictam Civitatem induxit, iisdemq; præscriptum Templum Germanicum, unà cum universis suis accessoriis in præjudicium etiam Juris Patronatus assignavit: Qui tribus Evangelicorum Domibus, Parochiæ contiguè adjacentibus, invitis earundem Possessoribus, pro tali quali minùs condigno valore, ad nutum proprium deposito, ad se receptis, in cœmeterio penes dictum Templum Germanicum habito cadaveribus defunctorum, tùm recentioribus, tùm vetustioribus effossis, amplum ædificium exstrui cœperunt. Et ut Patres in præmissis securiores stabilioresque redderentur, consensus etiam Civitatensis superindè sub interminatione Executionis, Convictionis illius Triginta duorum Millium florenorum, quàm contra Civitatenses Magister Johannes Mednyaszky, ob officia civilia Catholicis minùs collata (tametsi Civitatenses desuper nec requisiti, nec Catholici ad id habiles reperti essent) ad instantiam Fisci Regii pronunciasset, postulabatur.

Et quia jam eotùm Evangelicis degradatis, Judicis, ac alia potiora officia, adeoque directio Civitatis penes Catholicos stetit, Evangelicis in contrarium nihil facere valentibus, postulatus consensus circa præmissa adurgebat. Quæ postmodùm Regio etiam consensu & statutione firmata exstiterunt, quibus licet ex parte Civitatensium contradictone obviatum, eâ tamen ex præmissis rationibus revocari debuit. Eo denique devenit conditio miserorum ejus loci Evangelicorum, ut ex iisdem plurimi provectioris ætatis, deque Republicâ benemeriti Senatores ex ordine Senatorum amoti, & alii sæpè etiam Idiotæ essent surrogati: Alii in Senatu retenti quidem, verùm ab aliis publicis officiis gerendis arcentur, & ad eadem per Inclytam Cameram ii, quos maluerit, liberâ electione Communitati ereptâ, sublimentur. Quæ

omnia

omnia medio Judicis Catholici, & alterius Regii Judicis ita vocati, contra Jura Patriæ ibidem per Inclytam Cameram constituti, in manifestam oppresſionem Evangelicorum per Patres Jesuitas suggesta pro nutu eorundem exercentur, Cives incaptivantur, mulctantur, suæ Religionis libris privantur, & diversis calamitatibus involvuntur.

In circuitu Montis Kemenes allya, Anno proximè transacto circa Festum Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, toties jam dictus Illustrisſimus ac Reverendisſimus Archi-Episcopus Colocensis, Admodùm Reverendo Domino Johanne Horvath Canonico Jauriensi in Oppidum Janoshaza misso, ubi milites Augustanæ Confesſionis unam, Helveticæ Confesſionis alteram, ex meris lignis, Annis superioribus pro Exercitio suo exstruxerant, Domus quas occupavit, Helveticæ Confesſionis ministrum expulit, alterum ad certum tempus in privatis ejusdem ædibus reliquit. His peractis, jam memoratus Johannes Horvath, asſociato sibi Admodùm Reverendo Domino Nicolao Chernatony Canonico Jauriensi, & Thoma Kondray Plebano Csepregiensi, per omnes, illius Districtûs, Ecclesias Evangelicas vagando, singulis ministris Sacra officia (schedulam quandam manibus gestans, & Mandatum, eàm Sacratisſimæ Cæsareæ Majestatis appellitans) interdixit.

Porrò sæpedictus Johannes Horvath in eadem Kemenes allya situatum Templum Sáagh occupavit. Idem fecit in Posſesſione Nemes Dómók, undè Concionatorem Evangelicum in atrocisſimo frigore ejecit, præ cujus inclementiâ vix in proximum pagum miser se recipere potuit.

Templum in Simony per Chernatony occupatum cum Parochia, Schola, & appertinentiis ab antiquo ad eadem spectantibus. Ab ejusdem Templi Simoniensis appertinentiis, certas quasdam terras arabiles in Prædio Nobilitari, vulgò Juta vocato, Comes Franciscus olim Nadasdy avulsit, & pro se vendicavit, quæ terræ de facto præ manibus Illustrisſimi Domini Comitis Nicolai Draskovich existerent.

In Comitatu Szaladiensi.

IN Confinio Legrad, Supremus Vigiliarum Præfectus N. Kayzerstain Oberst Wachtmaister Compagniæ Czaisz, Ejusdem Confinii Legrad Commendans in Anno 1662. circa Festum Nativitatis Domini Salvatoris Jesu Christi; licet aliquod scriptum circumferens & ostentans, dicensq; Excelsi Bellici Consilii Mandatum fuisse, sed instantibus Evangelicis, idem scriptum perlegere non permisit; Interim tamen Templum Evangelicorum per se exstructum, contra Contradictiones Eorundem, & Positivas Regni Leges, Germanicam militiam in arma convertendo, occupavit, quod Templum unà cum Turri ibidem habita funditùs evertit: Sed & Scholam Evangelicorum, unà cum Domo Parochiali, & omnibus pertinentiis, nec non tribus majoribus campanis occupavit; Ministrum verò Evangelicæ Religionis, unà cum Ludi Magistro,

cum maxima rerum damnificatione, in exilium egit, nullo ſuperinde habito reſpectu, quod iidem Confiniarii Legradienſes Evangelici, ſingulis horarum momentis, in faucibus ferè Turcicis hærentes (à quibus Præſidium Turcicum Caniſa, uno circiter militari diſtat) Spirituali animarum ſuarum ductore, de facto carent.

Templum Bagonienſe Nobilis quondam Michael Szilva, Arcis Alſo Lendva Proviſor, unà cum Turri & Campana, ac aliis obventionibus, Parochiam hoſtiliter invaſit, Miniſtri Matthiæ Czipod ciſtas perfringens, omnia veſtimenta & reliqua utenſilia reperta in domo avehi curavit, Calicem Templi terræ alliſit, pedibus contrivit, ac præterea omnia jumenta Miniſtri miſerrimi abigi curavit.

In Szent György Völgye Templa, Parochiæ, & Scholæ cum univerſis obventionibus occupata & adempta ſunt, conſequenter Miniſtri Evangelici & Ludi-Magiſtri in exilium ire coacti.

Toties fatus Dominus Archi-Epiſcopus Colocenſis euntem in publica via Martinum Posgay captum, per viginti & unam Hebdomadam Sabariæ tenuit; lapicidio & aliis anguſtiis Georgium Horvath Octogenarium in Arce Keszö per multum tempus afflixit; Item Andream Nigrini, Benedictum Balika, Stephanum Haleczk, Matthiam Gombok duriſsimæ captivitati impoſitos. Pari paſſu Nicolaum Dan, ibidem more Turcarum cruciari permiſit.

Reverendisſimus Matthias Radonay Abbas Szalavarienſis, Martinum Sculteti cœpit, & in Arce Egervár in duriſsima captivitate asſervavit. Præterea multos verſus Caniſam Evangelicos Miniſtros in Arcem Szalavar, duci curavit, & qui ex iisdem conſtantiores reperti ſunt, ad inſtar crucis parietibus & Muris affigi fecit.

In Comitatu Jaurienſi.

ILluſtrisſimus ac Reverendisſimus Dominus Georgius Szechény Archi-Epiſcopus Colocenſis Anno 1671. armatis, tàm ſuis, quàm reliquorum Dominorum Canonicorum ſervitoribus, ſores Auditorii, ſeu Domus Evangelicorum Auguſtanam & Helveticam Confesſionem profitentium, intrà mœnia ipſius Confinii exiſtentis, ſecuribus ſcindendo, exindeque Concionatores eorundem Evangelicorum aliis per Commiſſarios penes Decretum ex Excelſo Bellico Conſilio Die 10. May 1647. Poſonii emanatum ex Conſtitutione totius Regni vigore Articuli 9. Anni 1647. introductos, per Servitores ſuos idem Dominus Archi-Epiſcopus deſpectuosè, & planè indignè expelli, ac ad partes Turcis tributarias educi curaſſet, Domum verò ſive Auditorium præfatorum Evangelicorum, propriis ſuis ſumptibus & expenſis emptum & comparatum occupaſſet, & ab eodem tempore ejusdem domus uſus fructus quotannis (ſiquidem idem Dominus Epiſcopus Venerabili Capitulo Jaurienſi asſignaſſet) idem Capitulum percepiſſet, perciperetq; etiam de præſenti, cum ſumma injuria ac læſione ſui.

Capi-

Capitulum Jaurienſe Opifices Evangelicos Jaurienſes Auguſtanæ & Helveticæ Confeſsionis contra tenorem Articuli 8. Anni 1647. Illos quidem, qui antecedenter in Ceham vel Contubernium ſunt recepti, ad ceremonias Religioni ipſorum contrarias, etiam cum interdictione operis artis ipſorum adigit, graviterque mulctat. Alios verò contra Diploma Majeſtatis Veſtræ Sacratisſimæ, niſi Evangelicam Religionem mutaverint, in Contubernium ſive Ceham admittere nequaquam permittit, cùm tamen præteritis temporibus, in eodem Præſidio Opifices in omnibus Cehis, ſine discretione Religionis fuerint recepti. Et etiam Cehæ pleræque, per operam & notabiles Evangelicorum ſumptus olim ſunt introductæ, cum ſummo bono Reipublicæ & ſervitio Majeſtatis Veſtræ Sacratisſimæ.

In Szent Jvan Reverendisſimus Dominus Ægidius Genczy Archi Abbas Sancti Martini Sacri Montis Pannoniæ, Templum & Parochiam Evangelicorum Helveticæ Confeſsionis occupavit. Concionatorem eorundem expulit, & in locum ejusdem Licentiatum Catholicum introduxit, Eosdemq; Evangelicos quotiescunque ad exaudiendas conciones, aliasq; devotiones alio exivisſent, toties 12. florenorum birſagio mulctavit.

In Koroncho Venerabile Capitulum Jaurienſe Concionatorem Evangelicum Auguſtanæ Confeſsionis expulit, Templum eorundem occupavit.

In Posſeſsione Pazmany Admodùm Reverendus Dominus Petrus Belleſics Præpoſitus Sancti Salvatoris N. Papocz, Concionatorem Evangelicum Helveticæ Confeſsionis expulit, Templum eorundem occupavit.

In Kis Barathi Catharina condam Hedervari, Relicta Spectabilis ac Magnifici quondam Johannis Viczay, per aliquot Germanos Musquetarios, Concionatorem Evangelicum Auguſtanæ Confeſsionis expulit, Templum eorundem occupavit.

In Gyarmath Reverendisſimus Dominus Franciſcus Jany, Præpoſitus Csornenſis, Concionatorem Evangelicum Auguſtanæ Confeſsionis exturbavit, & Licentiatum, contra mentem & voluntatem Evangelicorum Incolarum introduxit, ſub gravi birſagio ad amplectendam Romano-Catholicam Religionem coëgit, & Licentiato ſolvere impoſuit, contra mentem Articulorum 11. & 12. 1647.

In Radovany, Generoſus Dominus Valentinus Szente Vice Comes Comitatus Poſonienſis, Templum Evangelicorum Helveticæ Confeſsionis, propriis ſuis ſumptibus extructum occupavit: Concionatorem eorundem expulit.

In Moriczhida & Malomſok Moniales Poſonienſes per officialem ſuum Templa Evangelicorum Auguſtanæ Confeſsionis occuparunt, & Miniſtros eorundem exturbarunt.

In Söveny haza Patres Jeſuitæ Jaurienſes, Templum Evangelicorum Auguſtanæ Confeſsionis occuparunt, & miniſtrum eorundem exturbarunt.

In Szent Mihaly ſiquidem Pagus eſſet quondam Illuſtrisſimi Comitis Franciſci de Nadasd, & inter bona confiſcata ejusdem Comitis connumeraretur, officiales Suæ Majeſtatis Cameratici Templum Evangelicorum Auguſtanæ Confesſionis occuparunt, Miniſtrum eorundem exturbarunt.

In Mérges, Kapi, Bödöge, Reti, & Marczaltö, Venerabile Capitulum Jaurienſe Templa Evangelicorum Auguſtanæ Confesſionis occupavit. Ex posſesſione Kis Megyer Miniſter Evangelicorum ejectus eſt.

In Comitatu Comaromienſi.

IN Oppido Comaromienſi Anno 1666. etſi Judex loci ejusdem juxtà antiqua Privilegia legitimè electus fuiſſet, at quia erat Evangelicus, mandato Inclytæ Cameræ remotus, & Catholicus ſurrogatus eſt.

Generoſus Dominus Andreas Drahoſoczy Præſidii Comaromienſis Vice-Capitaneus, Michaelem Vörösmérti, cotùm Miniſtrum Eccleſiæ Helveticæ incaptivare, in Arce per ſex Menſes detinere, ac ad Sedem Bellicam citari facere non erat veritus.

Ibidem Patres Jeſuitæ Die Feſtivitatis Catholicorum, Opifices & alios domi ſuæ, vel in campo laborantes mulctare, nonnullos etiam jumentis privare præſumunt; Diebus verò vigiliarum carnes in macellis repertas confiſcare non verentur.

Opifices ſeu mechanici in cehis conſtituti, uti & ſtipendiarii loci ejusdem, ad Procesſiones, aliasque Religioni ipſorum contrarias ceremonias, cum interminatione ejectionis eorundem, ni pareant, compelluntur & adiguntur. Undè Nicolaus Vargha, ex eo, quod non paruiſſet, ex Ceha ſive Contubernio ejectus. Vietor verò quidam in Ceham nequaquam admisſus extitit.

In eodem Oppido Exercitium & Templum Auguſtanæ Confesſionis cum Parochia & Schola Anno 1672. Die 27. Februarii per Illuſtrisſimum ac Reverendisſimum Archi-Epiſcopum Colocenſem cum omnibus pertinentiis occupatum extitit.

Porrò ibidem licet Helveticæ Confesſionis Evangelici Templum, vi Conſtitutionum Regni, ſignanter Articulum 9. Anni 1647. indultuque clementi prædeceſſorum modernæ Imperatoriæ Regiæq; Majeſtatis laborioſâ curâ, nec contemnendis ſumptibus, exſtruxerant, ex eo tamen, quòd propè foſſatum Novi Fortalitii Comaromienſis ex poſt delineatum & evacuatum exſtitisſet, pro ſecuritate dicti Fortalitii, bonoque publico & commodo Patriæ, ad benignum Suæ Majeſtatis Sacratisſimæ Mandatum, unà cum duabus Parochiis & Schola demoliri fecerint. Ubi tamen præſtitis præmisſis fidelitatis ipſorum obſequiis, juxta benignas altè nominatæ Majeſtatis Cæſareæ asſecuratorias, occaſione præſcriptæ demolitionis emanatas, gratiam & prœmium mererentur, ubi juxta clementem oblationem, In benigno ſuo Mandato expresſam, Templi, Parochiarum, Scholarumque demolitarum, juxta æſtimationem

nem Commissariorum, limitatum precium, fundorumque aliorum, virtuteque etiam diversarum Constitutionum Regni, ac signanter Art. 91. Anni 1655. & 81. Anno 1659. demonstrationem præstolarentur, etiam loca proprio ære, pro interim comparata & exstructa, Parochias utpotè duas, Scholam & Cœmeterium, recenter funditùs erectum, simul cum Auditorio, aliàs humili loco, pro Exercitio tamen Religionis ipsorum destinato, per violentos occupata, miseri proh dolor amiserunt! Præfatus siquidem Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Archi-Episcopus Colocensis, Die 26. Mensis Januarii Anni 1672. cum certa comitiva Præsidiariorum Jauriensium, Oppidum Regium Commaromiense appulit, ibidemque assumptis Colonello Schmid, & Officialibus Regiminis, prout & Andrea Drohosoczy Præsidii Comaromiensis Vice Capitaneo, Francisco itidem Torday Plebano, ac aliis Jesuitis, præmissa universa, puta: Auditorium loco Templi cultui divino pro interim destinatum, Parochias duas, Scholam, cœmeterium, Turrim cum Campanis, velut proprio ære comparata & exstructa, occupavit, manibusq; Plebani utenda ac possidenda assignavit.

Ex post verò præmissa universa loca, Evangelicis frustra & in cassum reclamantibus Patribus Franciscanis tradita & assignata sunt, qui quidem funditus ædificiis dirutis, materialibusque eorundem, imò etiam demoliti Templi, partim venditis, partim in proprios usus conversis, in eodem Evangelicorum fundo, Templum cum Monasterio violenter, ac potentia mediante ædificari curarunt, Campanis verò inter Franciscanos, & Patres Jesuitas ex dispositione Supremi Capitanei divisis. Præterea proventus omnes, Agros, Portiones Prædiales, pecunias, res aureas & argenteas, Literas obligatorias, Bibliothecam ad Ecclesiam Evangelicorum ibidem spectantes, occuparunt ac distraxerunt.

Non absimiliter præfati Præsidii Supremus Capitaneus, turrim Evangelicorum funditus destrui, materialia ejus in arcem devehi, ibidemq; ex iisdem domum Parochialem exstrui curavit.

Prærepetitus verò Archi-Episcopus Colocensis Ministros Evangelicos & Ludi-Magistrum, prout & Scholares de Parochiis & Scholis exturbando, ad partes Turcicas in exilium coëgit, prævio juramento in locis jam occupatis Templorum, Scholæ & Parochiarum, nullas minas in perniciem Catholicorum suffosas esse, examinatis. Post dicto Vice Capitaneo certa puncta publicanda dedit, qui exmissis ex arce tympanistis, nomine Suæ Majestatis Sacratissimæ sequentia publicari fecit: Nullus Evangelicorum funus suum absque præscitu Plebani sepelire, infantes baptisare, personas matrimonium contrahentes copulare, aut occupatum cœmeterium transire: Nullus eorundem ad Sacra Religionis Suæ aliorsum exire: nullus Concionatorum vel Studiosorum Evangelicorum, ob qualemcunque causam, sive tempore nundinarum,

narum, vel Fori hebdomadalis Oppidum ingredi, aut tales hoſpitio excipere: Præceptorem pro informatione Liberorum intertenere. Feſto Die tres aut plures perſonæ Evangelicorum in plateis colloqui: in propriis ædibus Sacros Codices legere præſumant, ſub gravisſima incarcerationis pœna, quam etiam nonnulli experti ſunt.

Templa in Poſſesſionibus: Aranyas. Ekel. Thuri szakalas. Apacza szakalas. Ekecs. Nagy Megyer. Cziczo. Nema. Füs. Kis Tany. Nagy Keszi. Mocsa. In Oppido Tata, expulſis Miniſtris & Ludi Magiſtris Evangelicorum ſunt occupata.

Comes Ladislaus Csaky, Johannem Maroszy Bachidienſem, Martinum Levay Naszalienſem, necnon Andream Samaræum Baicenſem Eccleſiæ Helveticæ Confesſionis Miniſtros, in Arcem Tatenſem deduci curavit, omnibus bonis exutos, non niſi lytrô præſtitô dimiſit. Idem expertus Franciſcus Mohacſi Miniſter Aranyoſienſis per Comitem Hoffkircher incaptivatus, nec ſecùs niſi Lytri penſione dimisſus eſt.

Johannes verò Szaki Miniſter Poſſesſionis Ekel in ſua Parochia captus, Comaromium deductus, ibidemque præmiſsâ trinariâ vel quatenariâ carnificis tortura innocenter vivus combuſtus eſt.

Item Johannes Loſonczy Miniſter Evangelicus Tyrnavienſis, dùm ad Oppidum Revkomarom perveniſſet, ibidem vix pedem figere permiſſus, ad Turcicas ditiones cum tota Familia, non ſine ſummo periculo vitæ migrare coactus eſt.

Miniſter Helveticæ Confesſionis ex Posſesſione Bajcs per milites Nitrienſes in Arcem Jberhard abductus, omnibusque bonis exutus eſt.

In Comitatu Moſonienſi.

ILluſtrisſimus ac Reverendisſimus Dominus Georgius Széchény Archi-Epiſcopus Colocenſis Templa in Oppido Ovar Germanicum Auguſtanæ, & Hungaricũ Helveticæ Confesſionis, cum pertinentiis ſuis armata manu occupavit.

Illuſtrisſimus Comes Leopoldus Kollonich Templa in Poſſesſionibus Szolnok & Nemet-Jandorff violentâ manu occupavit.

Idem Dominus Archi-Epiſcopus Colocenſis, cooperante Illuſtrisſimo Domino Præſide Cameræ Hngaricæ, Templum in Hegyeshalom per Evangelicos proprio ære ædificatum: Item, in Czundorff, Levél, Miklosdorff, cum Parochiis & Scholis eadem manu violenta occupavit.

Ad hæc Templa in Oppido Raika & Szent Jvan, per Evangelicos ædificata, cum Parochiis cunctisque pertinentiis ſuis ſunt occupata.

In Anno 1673. Egregius Johannes Czongor Cameræ Hungaricæ Commisſarium ſe nominans, cum tribus Compagniis Regiminis Schmidiani, Templum Oppidi Galos, cum Parochia & Schola; Item Tetén, & Puszta Samaria, per eosdem milites armata manu occupata ſunt.

Pariter

Pariter per varios, ex turbatis Ministris Ecclesiarum Templa, in Belsö Kémlye. Kanok. Moczér. Halaszy. Moson. Leben. Szent Miklos. Ilmicz. Pomogy. Apetlon. cum suis appertinentiis sunt occupata.

Itidem in Oppido Kőpcsin Templum Germanicum ante plurimos Annos per Magnificum olim Dominum Stephanum Lisztium ædificatum, Illustrissimus ac Reverendissimus Archi-Episcopus Colocensis armatâ manu, cum cunctis pertinentiis occupavit.

In Comitatu Veszprimiensi.

IN Præsidio Papensi Templum, Turres, & cœmeterium Helveticæ Confessionis Evangelicorum (in quorum ædificationem lapides & ligna, aliaque necessaria iidem Evangelici expansis vexillis, pro laborantium Evangelicorum contra sæpissimas Turcarum excursiones factâ defensione, turmatim exeuntes, ex partibus Turcicæ potentiæ subjectis advexerunt, talique maximo vitæ suæ dispendio ædificarunt) Domini Catholici unà cum tribus Compagniis noctis sub silentio occuparunt.

Domum verò Parochialem ab Evangelicis Helveticæ Confessionis exstructam, & semper ab iisdem possessam, unà cum horto & Curia ibidem existente, Domini Catholici ante Decennium armatâ manu, & Germanorum militum potentiâ mediante (piè defuncti quondam Thomæ Tolnay Ministri Ecclesiastici Evangelici misera Relicta, cum plurimarum rerum suarum jactura, de domo eadem ejecta) à prædictis Evangelicis occuparunt.

Pratum verò exstirpatitium Ecclesiæ Evangelicæ Papensis, in Territorio piæ memoriæ quondam Francisci Uky, sub monte vulgò Törsök hegye nominatô situatum, ac in pacifico Dominio per præfatos Evangelicos Papenses possessum, Admodum Reverendus Dominus Johannes Szakony Ecclesiæ Veszprimiensis Præpositus occupavit.

Ad hæc non contemnendam partem certæ Curiæ, quam antecedenter Minister Helveticæ Confessionis, Admodùm Reverendus quondam Johannes Sáári possidebat, Domini Catholici occuparunt, & in præsentiarum Stephanus Galgoczy, Scho æ Evangelicæ vicinus possidet.

Sed nec misera tantùm plebs Evangelica, per continuas militum condescensiones, ipsisque supra vires eorundem impositas quarterisantibus hospitalitates, ab omni cultu Divino, sicut & educatione Liberorum more Evangelico, & solutione ministro Evangelico, provenienda, primo sub pœna duodecim florenorum, expost verò sub omnium bonorum confiscationis mulcta prohibita est: Tandem verò per cellariorum & cistarum effractiones, personarum propriarum incaptivationes, verberationes, & in sordidissimis teterrimisque partim Papensibus, partim verò Fraknoviensibus, Lakompachiensibus, & Lanserianis carceribus inter squalores (horret animus edicere) crudelissimas detentiones; honestarum senilium fœminarum in ferrea collaria

D impo-

impoſitiones, quibus nec ſedendi, nec ſtandi facultas, verùm continua incurvandi calamitas erat (citra omnem compatiendi affectum, Nobilis quondam Stephanus Jora & Martinus Lindvay, attunc officiales Papenſes, & nonnulli eorundem asſeclæ; ſub nomine Illuſtrisſimorum Dominorum Terreſtrium Papenſium, ad mutandam Religionem Evangelicam miſeros homines (ut præattactum eſt) plebeos adigebant.

Verùm etiam Nobiles, miliſteſque Præſidiarii, ac ſervitores & Inquilini, Libertiniq́ue Papenſes Evangelici, ſimilibus diris perſecutionum viis & modis, ac quævis horribilia minitantibus tentamentis, & interjectis minis vexati, turbati, & in conteſtatum erga Evangelicos odium, ab omnibus molendinis circa Præſidium Papenſe in fundis præfatorum Illuſtrisſimorum Dominorum Terreſtrium ædificatis; ſicut & nonnulli eorundem forenſibus fornicibus,& mercibus omnibus in iisdem habitis privati: ex domibus,hortis & Allodiis,vel Paterno & Materno aviticis, vel verò propriis pecuniis emptis ejecti: Omnibus rebus Domeſticis exhauſti: ac uno ad manus nonnullorum Evangelicorum porrecto baccello, è dicto Præſidio Papenſi in exilium pulſi fuêre.

Quæ præmiſſa eo majori auſu acta ſunt, dum hoſtiam oribus Evangelicorum Papenſium (reclamantibus illis, aut ſtudio inebriatis) obtrudere: nonnullos ad coactivè asſumptam continuandam Religionem Catholicam adjurare coëgerunt: nonnullos verò ob conſtantem in fide Evangelica permanſionem, in dirâ captivitate detinuerunt, donec vitam calamitosè clauſerint.

Nec eô prætermiſsô, quod licet cœmeterium intra Præſidium Papenſe habitum, iidem Evangelici ex fundamento exſtruxerint, locaq́ue ſepulturarum nonnulli opulentiorum Evangelicorum pro ſe ſuisq́ue familiis ædificaverint; illuc tamen nonniſi gravisſimo & quidem notabili lytrô taxati, ſepeliri permittuntur; prouti proximè factum eſt: Dominus Reverendus Lucas Mocsonaky Plebanus Papenſis, Generoſi quondam Domini Franciſci Bottka Senioris exangue corpus, in propriam ſepulturæ criptam eousq́ue ſepeliri non permiſit, poſtulato lytro Ducentorum Tallerorum; at interpoſitione Generoſi Domini Nicolai Horvath, præfati Comitatus Vice Comitis, negotium quinquaginta florenorum depoſitione modificatum eſt.

Mechanici Evangelici, ereptis eorum antiquis, & novis eisdem obtruſis Privilegiis, ad ceremonias Evangelicæ fidei contrarias, ab eodem Plebano etiam modo coguntur, ſecus facientes mulctantur.

Officia Nobilitaria, ſicut & Militaria Stipendiaria, licet idoneæ & benemeritæ perſonæ inter Evangelicos habitæ fuerint, & habeantur, non tamen iisdem conferuntur: Neque gregarii milites Evangelici ſine gravi penſione ab officialibus inſcribuntur.

Concionatores Evangelici Papenſes, ab antiquis temporibus, usq́ue in ceptum perſecutionis tempus, unum equitatûs locum habentes, unius militis equitis

equitis salarium Annuatim perceperunt, ita etiam Scholæ Rector, unius pedestris ordinis stipendium percipit; modo verò præfatorum Concionatorum idem salarium Plebanus: Rectoris verò, Rector Catholicus cum damno percipiunt.

Licet in Articulis expressa Libertas habeatur, quod Superintendentes, & Seniores Evangelicorum ministrorum, congregationes ipsorum promulgare, & Synodos instituere possint; modò verò prohibentur; instituentes autem conventicula vetita facere accusantur.

Nec eo intermisso, quod præfatus Plebanus, & reliqui Monachi Papenses, tàm in Cathedris, quàm aliis occasionibus, in odium Evangelicæ Religionis contumeliosè concionantur: & turpissimis pasquillis ministros Evangelicorum proscindunt, undè Præsidiariorum militum dissensiones, & inter se contentiones plerumque oriuntur, facilè majora causaturæ.

Incolas Possessionis Borsosgyör in Filiali Ecclesia Helvetica Papensi degentes, idem Plebanus Papensis ab exercitio Evangelicæ Religionis non tantùm prohibet, verùm etiam sub mulctâ duodecim florenorum, ne infantes eorundem per ministros Evangelicos baptisari, neque in Scholis eorundem educari facere auderent, vetat.

In Præsidio Vasonkeö, siquidem Turca Christiani nominis hostis infensissimus, Templum Augustanæ Confessionis, hostili excursione mediante, in cineres & fumum redegit: ejusdem loci Evangelici, licet juxta Positivas Regni Leges restaurare vellent, Catholici tamen, præcipuè ejusdem loci Provisor, intentatam restaurationem modis omnibus impediunt; Cùm & alioquin propter Turcarum continuas excursiones, Templum Possessionis Nagy Vason Helveticæ Confessionis vacuum relictum est.

In Possessione Vaszar, Ministro Augustanæ Confessionis per Illustrissimum ac Reverendissimum Georgium Széchény Episcopum Jauriensem, variis minis & territamentis exturbato, Plebanus Catholicus residet.

Similiter Provisores Arcis Papensis ex Oppido Ugod, & Filiali Ecclesiæ ejusdem Kis gyirmot, ministro Helveticæ Confessionis exturbato, Licentiatum Plebanum Catholicum introduxerunt, plebemque ad mutandam Religionem coëgerunt.

Ex Possessionibus Kerta & Dobron ministri Augustanæ Confessionis exturbati. Ex Possessionibus verò Tammassy, Csurgo, Bank, ministri Helveticæ Confessionis exclusi sunt.

In Præsidio Veszprimiensi, licet ad officia stipendiaria plurimæ personæ essent idoneæ & condignæ inter Evangelicos, non tamen iisdem conferuntur, imò à collatis officiis amoventur.

Et licet in eodem Præsidio Veszprimiensi structura turris penes Domum Concionatoriam Evangelicorum nimis esset necessaria, si quidem ex illa turri

contra Turcarum excursiones vigilare possent; tamen Domini Catholici odio Religionis nequaquam permittunt.

In Comitatu Posoniensi.

IN Civitate Ejusdem nominis Evangelici in Anno 1672. ibidem commorantes, posteaquam Templa sua Principi Archi-Episcopo ad varias denunciationes, & minas tradere noluissent, processu quodam inconsuetô per Fiscum Regium motô Tyrnaviam evocantur, ac in nota infidelitatis aggravantur, ex quibus potiores in squalidos carceres, ibidem tanquam publici malefactores detrusi: Templum verò Germanicum in Foro Civitatis, ære Sacri Romani Imperii Evangelicorum Statuum & Ordinum exstructum, nullo unquam tempore, Gravamine aliquo à parte Catholicorum maximè per aliquam Contradictionem à Fisco Regio in quæstionem sumptum, per Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Leopoldum à Kollonich Hungaricæ Cameræ Præsidem securibus effractum, cum Scholis, Domô certâ per Evangelicos pro habitatione Ministrorum pecuniis comparata, cunctisque Ecclesiæ ministrorum Bibliothecis, haud exiguô ære conquisitis, prout & Thesauro Ecclesiæ, vineis, vinis, & aliis pertinentiis, piis usibus applicatis, occupata, quod Templum ad præsens Jesuitæ habent. Hungaricum verò Templum per præfatum Dominum Præsidem, accersitô ferariô reseratum & occupatum: Nunc verò Ordini antehac nunquam in hoc Regno acceptato Ursulitarum, occupatis adjacentibus aliquot Civium Domibus, non sine præjudicio Civitatis, pro residentiâ dicti Ordinis traditum est. In cœmeterio etsi per Evangelicos emptô, sepulturam sine solutione grandi, & nunquam antehac solitâ non admittitur. Evangelici, tàm ex interiori Senatu, quàm ab aliis Civitatis functionibus, & consultationibus remoti; Mechanici, Opifices ad Processiones Religioni ipsorum contrarias, sub mulctis gravibus adiguntur: Cives ad juramenta Religioni ipsorum contraria, nec antehac usitata præstanda compelluntur; in numerum Civium, etsi Patricii & Indigenæ difficulter recipiuntur: Benè meritæ personæ ex Officiis cum contemptu exclusæ: Et quod summè dolendum, Cives Evangelici ad paupertatem redacti, in publicum Xenodochium non admittuntur, nisi mutatâ Religione Evangelicâ.

Pari passu Evangelici in Liberis ac Regiis Civitatibus, Modor, Baziny, & Szent György commorantes, visô discrimine vicinorum Posoniensium, quibus æquè similia pericula imminebant, minis gravissimis adacti, claves Templorum assignare coacti sunt, quæ etiam de præsenti cum Parochiis, Scholis, cunctisque pertinentiis per Catholicos possidentur.

In Regia ac Libera Civitate Tyrnaviensi, Illustrissimus ac Reverendissimus olim Dominus Georgius Pongracz Episcopus Vaciensis, perfractis feris, Templa Augustanæ & Helveticæ Confessionis propriis sumptibus ædificata, unà cum Parochiis & Scholis, cœmeteriis, cunctis pertinentiis, piisque legatis occu-

occupavit. Ministris, Ludi-Magistris, & Studiosis, in summo frigore ex Civitate expulsis & ejectis; Cives Evangelici ad interiorem Senatum non admittuntur; ad juramenta & Processiones Religioni ipsorum contrarias adiguntur.

Porrò Minister Evangelicus Csataiensis in Comitatu Posoniensi, antea ex Parochia ejectus, in Regia ac Libera Civitate Baziniensi privatam cum suis Domesticis agens vitam; dum die quodam Festo in proprio Hospitio Familiæ suæ ex Sacris literis perlegisset; Capitaneus loci ejusdem Italus, assumptis secum certis armatis, in hospitium dicti Ministri irruendo, eundem tanquam publicum malefactorem in arestum Civitatis deduci curavit. Qui expost ad Arcem Eberhardensem Celsissimi Principis Archi-Episcopi ductus, in carceres trusus, fame, æstu, frigore, aliisq; minùs honestis laboribus maceratus; illinc Tyrnaviam, exindè post multifarios perpessos carcerum squalores, in Moraviam abductus, ubi an supersit, vel mortuus est, soli Deo notum est.

Ex Oppido Samaria in Insula Csaloköz, uterq; Concionator Augustanæ & Helveticæ Confessionis sunt ejecti, Templum verò Helveticum cum pertinentiis occupatum.

In Oppido, Nagy Levard.

In Possessionibus: Limpach. Csatay. Nemet Grob. Jvany, huc pertinet Filialis Papfalvensis. Beke. Gomba. Szent Abraham. Saap. Egyhazfalu. Joka. Gutor. Miserd seu Mischdorff. Fél. Cseleszto. Szül. Mayten. Macsid. Viszkelet. Kossult. Alistal. Réte. Bodokfalva. Kis borsa. Nagy borsa. Kiraly falva. Pap körmösd. Apacza körmösd. Botszeg. Szent Mihaly falva. Felsö Szeli. Also Szele. Nyék. Vezekiny. Nagy Szegh. Tarlos. Sente. Szeredinum. Sopornya. Keleti; unà cum Parochiis & Scholis Templa sunt occupata.

In Oppido verò Szemcz & Szerdahely, Templa sunt demolita, materialia in profanos usus conversa.

In Comitatu Nitriensi.

IN Regia ac Libera Civitate Szakolczensi Egregius Johannes Pograny, attunc Civitatis Capitaneus convocatis armatis Civibus, Templum Augustanæ & Helveticæ Confessionis, unà cum Parochiis, Scholis, & pertinentiis occupavit, illo Jesuitis, hoc Paulinis assignatis. Jam privati Templis, dum quodam tempore in campo Sacris suis indulgere voluissent, Egregius Paulus Aranyassy, Capitaneus Civitatis nocte adapertis portis, assumptis secum nonnullis armatis, in miseram Plebem irruit, plurimos sauciavit, vulneravit, ex quibus tres personæ mori coactæ sunt. Ibidem Pannificies Evangelici Cehâ sua vectâ, ne ad Processiones vadant, ab Anno 1669, singulis Annis florenos quinquaginta Senatui solvere coguntur: Juramenta Evangelicis Religioni ipsorum adversantia imponuntur, sub gravibus mulctis & Executionibus. Concives benemeriti, de numero Centumviratus ob Religionem ejiciuntur, in inte-

riorem Senatum nemo ex Evangelicis admittitur; Neque domos emere permittunt, aut in numerum Civium recipiunt, nisi Catholicos.

Templa: Haszakörtense. Csermediense, cum Filiali Dovoranensi. Szerdaheliense. Paczolaiense. Csizicsiense, cum Filiali Uyfalvense. Nagy Bossaniense. Krasznaiense cum Filiali.

Oppidi: Zambocret, Nitra Szerdahely. Nagy Beliczense. Korosiensia duo, cum Filiali Szolcsanka. Racsanense cum Filiali Nagy Leanense. Handloviense. Liviniense, Szebedrasiense. Baniense. Vitkoczense. Also Leloczienſe. Divik Uy falviense. Divikiense. Czigeliense. Rudnaiense, Belaiense. Csavoiense. In Jvanka. Kosztolan fulvense. Lipovnikiense. Buczaniense. Belusiense. Eörvöstiense. Drahoczense. Szent Keresztiense. Moravanka. Sztrasense. Olehotense. Szabbatistense. Verbocense. Buchocense. Pritrzense in Bonis Arcis Berencz sunt occupata. Item: Szerniense. Beladiense. Komnyatiense. Kolonense. Recsense. Neverense. Vitkocense. & Sisso.

Quid sit actum in Oppido Szcincze & Possesione Tura Luka, quanta innocentissimi sanguinis Christianorum effusio, ad mala narrata, nonnullorum sanguinem Evangelicorum sitientium, apud Bellicum consilium facta, novit non modò circumjacens vicina, sed & totus orbis Christianus, ubi eâ occasione non modò dictorum locorum Templa, sed & multi homines Masculi & fœminæ, imò innocentissimæ virgines vitâ privati sunt.

Quæ præmissa Templa, unà cum Parochiis & Scholis, cunctisq; pertinentiis, partim per Egregios, Gabrielem, Adamum, & Alexandrum Bosany, uti Templum Nagy Bossan. Item: Georgium Török de Pany. Johannem Horvath, Johannem Wiszlay Assessorem Comitatus Nitriensis, nec non certos Clericos conductis hinc inde armatis, & assumptis extraneis militibus, pulsis Ministris Evangelicis, in plerisque locis, bonis eorum mobilibus in prædam versis, sunt occupata.

In Comitatu Trenchiniensi.

ANNO 1671. Die 16. Decembris Illustrissimus Comes Georgius Illyeshazy, assumptis servitoribus suis & satellitibus, Templum superius propriis Evangelicorum expensis ædificatum, effractâ januâ, unà cum cœmeterio occupavit, certis vigiliis ibidem collocatis. Templum verò alterum extra mœnia situatum cum cœmeterio obsigillavit. Ludi Magistrum, Collegas & studiosos è Gymnasio ejecit: Sepulturam mortuorum Nobilium & aliorum impedivit, ut non sine periculo infectionis per aliquot hebdomadas insepulta cadavera in Domibus jacuerint, donec tandem per Plebanum inductum, accepto gravi lytro sepultura admissa esset. Et nisi Judex & Senatus Ministros Ecclesiæ eo facto ejecerit, ac certas Reversales subscripserint, idem Comes minabatur per Croatas Civitati cladem Senicensium sine omni compassione incaptivato Senatu illaturum.

In

In Oppido Zolna, Egregius Caſpar Zirczicz, attunc Triceſimator Trenchinienſis, ſtipatus aliquot Centuriis Musquetariorum, Miniſtros Eccleſiæ, Scholæ Rectorem, & alios ejecit, perfractiſque valvis Templi, illud auxiliante Egregio Georgio Stranyovszky, unà cum altero Templo, ad fluvium Zilinkam vocatum ſituato, & Parochiâ, Diaconario, Scholâ aliiſque univerſis appertinentiis occupavit. Poſt Egregius Caſpar Marſovszky, Triceſimator ibidem conſtitutus, Senatum & Notarium Evangelicos rejecit, alios Catholicos nonnullos minùs idoneos, & in locum Notarii Contra ſcribam Triceſimæ denominando ſubſtituit.

Item in Oppidis: Varin, cum Filialibus Bela, & Terchova, Uhel ad Kiszuczam duo, cum Filialibus Nagy Divina, & Brodno. Rajecz. Vag Besztercze, cum Filiali Kosztelecz. Predmir. Belus, cum Filiali Viszolay. Puchov duo Templa. Lednicze cum Filialibus. Kaszensze, cum Filialibus. Illava. Hanzlich falva.

In Poſſeſſionibus: Csatcza, cum Filiali Krasznenſi. Lietava. Konszke, cum Filiali Sztraszke & Visnove. Kamena Poruba. Frivaldt, cum Filiali Facskov. Szulovienſe, exceptâ Schola. Bodinenſe. Schavinkienſe. Marikovienſe, cum Filiali Hatne. Nemes Chotcſovienſe cum Filiali Rovne. Kis Udicza. Jurzovka. Hricsovienſe. Ugrocz cum Filialibus Omasztina & Oxina. Miezgocz. Dubova. Pravoticz. Podluzan. Csorocz. Turna. Kis Jeszenicze, cum Filialibus in Podvaze, & Popradno. Kocskocz. Rovna. Luca cum Filialibus. Mſena. Boleſſov cum Filiali Pominocz. Nagy & Kis Poruba. Mateſſecz cum Filialibus Petrevo, Lehota, & Neporacz. Dezericz. Szlatina cum Filiali. Timoracz. Birocz. Felsö Drictoma. Melcſicz. Haluzicz. Lieskocz Moravicalis. Baſicz cum Filiali. Uy falu infra Beczko.

Comes præfatus Georgius Jllyeshazy, etſi Supremus Comitatus iſtius Comes, tantùm abeſt, ut præſidio fuiſſet Nobilitati, quinimò asſumptis quatuor Turmis Præſidiariorum militum & diverſa colluvie, quos in Poſſeſsionem Kochanocz, & viciniam ejus collocando, Nobilium Curiis in Prædam converſis, Templum, Parochiam & Scholam prædictæ Poſſeſsionis non ſine cæde humana, & effuſione ſanguinis occupavit.

Quæ Templa cum Parochiis & Scholis, præprimis per dictum Comitem Georgium Jllyeshazy, qui ſe in perſecutione iſtâ maximè ſtrennuum præbuit; Item Egregium Caſparem Zirczſicz, alioſq; tam Clericos, quàm Seculares, asſumptis ad prædam conquiſitis Domeſticis, & extraneis Militibus, pulſis miſeris Evangelicis, Miniſtris, rebusq; eorum in prædam converſis ſunt occupata.

In Comitatu Arvenſi.

ANNO 1671. & 1672. medio Militiæ Suæ Sacratisſimæ Majeſtatis, Templa, Parochiæ & Scholæ, cum ſuis appertinentiis, ejectis ac remotis Evangelicis Miniſtris, Scholarum Rectoribus, ac in prædam converſis eorundem Bonis mobilibus ſunt occupata.

In

In Oppidis: Nagy Falu, cum Filialibus. Kubinienſe, cum Filialibus. Tordoſinenſia duo cum Filialibus. Trsztenenſe, cum Filialibus. Sub-Arcenſe, cum Filiali.

In Poſſesſionibus: Zaſskovienſe cum Filiali. Dubovienſe, cum Filialibus. Namesztovienſe, cum Filialibus. Lokcenſe, cum Filialibus. Niznenſe, cum Filialibus. Jablonka, cum Filialibus.

In Comitatu Liptovienſi.

IN Oppidis: Csorba. Hybe. Szent Miklos, cum Filialibus Verbicza, Andras falva, & Ploſtin. Rozombergh, cum Filiali Sancti Martini Hrbuotova, & Revucza. Lipcze.

In Poſſesſionibus: Vazocz. Bocza. Dovalov, cum Filiali Kokava. Szent Peter. Szent Jván, cum Filiali Porubka. Szent Andras. Szent Jſtvan. Szmreczan. Madacz falva. Nagy Bobrocz. Okoliczna. Tarnocz. Szilnicza. Proſek. Sancta Anna, cum Filiali Malatina. Boldogh Aszony falva. Tepla. Liszkofalva. Komnyatna, cum Filiali Sztrachovany. Kis Paludgya. Nagy Paludgya. Szent Kereszt. Klaczany. Szent Mihaly. Mind Szent. Alſo Mattyasſocz. Trsztenye, cum Filiali Jalocz. Dubrava. Boda falva. Templa, Parochiæ & Scholæ ſunt occupata.

In Comitatu Scepuſienſi.

QUamvis Regia Liberaque Civitas Leuchovienſis, fidelitatem ſuam erga Sacratisſimam Majeſtatem ſemper inviolatè & illibatè ſervaſſet, Cives quoque (tùm temporis omnes Auguſtanæ Confesſionis) ſæpisſimè eandem Civitatem contra hoſtes Suæ Majeſtatis, variis vicibus & Obſidionibus infeſtantes, cum maximo etiam fortunarum ſuarum diſpendio & vitæ discrimine pro virili defendiſſent, poſthabitó tamen tantæ fidelitatis ſuæ ſtudiô, ejusdem Civitatis Judex, Senatores, tota deniq; Communitas, & ſinguli Inhabitatores, unà cum Eccleſiæ Miniſtris, Scholarum Rectoribus, & Scholaribus, in Anno 1674. pro 1. Menſis Martii ad inuſitatum, & Legibus Patriis contrarium Jus Delegatorio-Extra Ordinarium Poſonium ſunt citati, ſub prætextu alicujus complicitatis Rebellionis deſuper rationem redditurí, quæ tamen nunquam probata extitit, ibidemque præfatæ Civitatis Ablegati, cum Fiſco Regio, Transactionem aliquam inire, minis & metu coacti ſunt, cum maximo Status Evangelici, & Publicarum Regni Conſtitutionum, ac Diplomatum Regiorum præjudiciô, quâ mediante, prætactæ Civitatis univerſa Templa, Capellæ, Scholæ, & Parochiæ, tàm intra, quàm extra mœnia Civitatis ſunt adempta, Eccleſiæ Miniſtri cum Rectoribus & Scholaribus in exilium misſi, ac per hoc jam à Septennio totali Religionis ſuæ exercitio privati, ſed & inſuper in Anno 1679. Hoſpitale pauperum, quod tamen ab aliquot ſeculis pacificè posſidebant, Civitati ademptum, & P. P. Franciſcani Ordinis minoris applicatum.

In

In hoc etiam Civitas Leutchovienſis vel maximè aggravatam ſe ſentit, ex quo eadem Civitàs, indè à memoriâ hominum in reali eoque pacifico uſu, variis Conſtitutionibus, & Regiis Diplomatibus fundato; quoad liberam Magiſtratus Electionem extitisſet; modo autem ab aliquot jam annis in eâdem Libertate per Cameram Scepuſienſem ſummè turbarentur.

Regiæ ac Liberæ Civitatis Kesmarkienſis Incolæ Evangelicæ Religionis dolorosè conqueruntur, Reverendisſimo quondam Domino Georgio Barſony Præpoſito Scepuſienſi, & Epiſcopo Varadienſi, unà cum Illuſtrisſimo Comite à Volkra, attunc Cameræ Scepuſienſis Adminiſtratore, in Anno 1673. in prædictam Civitatem adveniente, ipſa Die 14. Menſis Septembris præſcripti Anni, adhibitâ manu militari, Templo Germanico & Xenodochiali, Schola & Parochia, cum omnibus ſuis acceſſoriis, operâ Serarii apertis, & violatis eorundem foribus, cum exturbatione, & diverſis ſub prætextibus exterminatione Miniſtrorum eorundem, ut & Rectorum Scholæ & Studioſorum, extorſis ab iisdem nunquam auditis ſtrictisſimis Reverſalibus, occupare & adimere, atque Catholicis ibidem paucisſimis, & proprium ibidem Templum habentibus tradere & asſignare præſumpſisſent; Ita etiam Magiſtratum ejusdem loci Evangelicum, contra liberam electionem in Legibus Patriis, & Diplomatibus Regiis fundamentaliter radicatam, Inclyta Camera Scepuſienſis reformare, & Civilia officia, usque in præſentiarum pro libitu diſtribuere attentaſſet.

Denique Templa in Oppidis & Poſſeſſionibus cum Parochiis & Scholis cunctisque appertinentiis ſunt occupata.

Et quidem: In Tot falu. Krig. Maldur. Buſocz. Sztraska. Keresztſalva. Scent György Holomnicza. Kolaczko. Kis-Lomnicza. Viborna. Rokusz. Forberg. Hunszdorff. Kakas Lomnicza. Uy Leszna. Gerlach falva. Batis falva. Mengus falva. Felsö Szonova. Görgii. Schavnik. Hranovnicza. Kubach. Also Szonova. Hozelecz. Svabocz. Ganocz. Filicze. Vilkocz. Farkas falva. Jamnik. Dravecz. Oppidum Vondriszel. Haraszt. Teplicze. Vidernik. Uloza. Zavada. Scent Andras. Pik falva. Abraham falva. Dvorecz. Levkocz. Bethlem falva.

Oppida: Kapoſta falva. Milenbach. Szakocz. Nagy Szalok. Kis Szalok. Csötör tek hely. Smiſſan. Illés falva. Kuriman. Harikocz. Daniſocz. Odorin. Marcus falva, cum Filiali Czepanſalva. Körtvéllies. Svedlar. Velbach. Gölnicz. Szomolnok. Krombach. Remete. Stosz.

Poſſeſſiones: Pongracz falva. Petrocz. Harkocz. Voykocz. Kalava. Hriſocz. Kolonocz. Felsö Szalok. Felsö Szlovenka. Klukno. Richno. Zakarocz. Jaklocz. Folkmar. Felsö Repas. Brutocz.

Notandum: In hoc Comitatu, habent Domini Catholici benè ſuprà numerum Sexagenarium Templa.

In Tredecim Oppidis Templa occupata, verùm non ſunt connumerata.

E Bela.

Bela. Libicza. Ruskonicz. Tvarozna. Mattyocz. Szombathely. Velka. Popradt. Sztraza. Verbo. Iglo. Varallya. Olaszy.

In Comitatu Säarosſienſi.

ET primò quidem, in Libera ac Regia Civitate Eperiesſienſi: Tametſi præter Legales, & Diplomaticas aſſecurationes, nomine Cæſareæ Regiæque Majeſtatis, per Excellentiſſimum Generalem Comitem à Spork, Evangelici de non turbanda Religione affidati fuiſſent, tantùm tamen abeſt, ut ſecuritas præfata manſiſſet, quin primò, per Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum olim Georgium Barſony Epiſcopum Varadienſem, ſub Præſidio Leszliano certum deſertum Monaſterium, cum circumferentiis, variis excogitatis minis ab Evangelicis extortum eſt. Poſthac Reverendiſſimus Dominus Franciſcus Szegedy, Epiſcopus Agrienſis, adſcitô memorato Præſidio, reliqua tria templa, duas Scholas, totidem Parochias, cum acceſſoriis, effractis januis ademit, ac remotis Eccleſiæ miniſtris, Rectoribus & Profeſſoribus Scholarum, extorſis per vim certis Reverſalibus, eadem Templa Catholicis aſſignavit: Statu Evangelicô modo præmiſſo ſubverſo, Comes à Volkra, aſſumptis nonnullis Cameraticis, ad Domum Prudentis quondam Thomæ Konrad, Judicis Primarii venit, acriter expoſtulando, ut Claves Curiæ Civitatis ſibi tradat. Dumque Judex id ſine præſcitu Senatus ſe minimè facere poſſe excuſaſſet, Idem Dominus Volkra fiſco aperto, claves curiæ via facti rapuit, curiam conſcendit, Senatum & electos Evangelicos exauthoravit, in locum eorum nonnullos Nobiles extraneos, nulla bona in fundo Civitatis habentes, ac alios ruſticos & mercenarios, quorum nec ortus, aut fama dignoſceretur, ſubſtituit: Hoc idem cum contuberniis & cehis opificum actum eſt. Poſthac Magiſtratus Catholicus Cives Evangelicos non modò ad ceremonias Religioni eorum contrarias coëgit, ſed & dum prænotatum Monaſterium reſtaurari debuiſſet, quindecim Domos & nonnullos hortos Civium ſine omni ſolutione occupavit, & Monaſterio applicavit. Quare Senatu ex denotatis ſuprà perſonis ſubſtituto, adminiſtratio publicorum cum extrema ruina fit, dum Bona Civitatis idem Senatus & officiales disſipant, & plerique in proprios uſus convertunt; Rationes geſtorum officiorum etſi negligunt, tamen per Cameram ultrò manutenentur. Quare confiſi in protectione Cameræ, variis modis Evangelicos turbant, non citatos carcerant, & diverſas, aliquando etiam triplatas ſine omni cauſa exigunt pœnas.

Pari modo Regia ac Libera Civitas Bartfenſis, confiſa in Libertate Religionis, ac maximè in aſſecuratione antelati Excellentiſſimi Domini Generalis à Spork, de non turbanda Religione, certos Præſidiarios milites acceptavit. At mox in Anno 1671. Menſe Aprili, Reverendiſſimus Dominus Georgius Barſony attunc Præpoſitus Scepuſienſis, aſſiſtentiâ Præſidii, variis minis templum Sclavorum ſibi tradendum expetiit, verùm placidè eô haud obtentô, Judex, Senatus, & Electi Communitatis, cuſtodiæ & areſto militari ſunt traditi, neque ſecùs,

quàm

quam assignatis clavibus dimissi. Verum his non contenti Domini Catholici, sed Anno sequenti 1672. quidam Stephanus Colosvary Canonicus Agriensis, ipsa Dominica Rogationum dispositio priùs pro assistentia, Loci Commendante Comite à Serau, Templum Cathedrale Germanicum finitis Sacris adhuc patens cum servis suis ingressus est, quem insonantibus tympanis sequitur Commendans, omnes ingressus Templi & cœmeterii circumsedit milite, nemine ex Civibus intromisso. Expost dum Judex cum tribus Senatoribus Templum ingressus esset, protestando de via facti, & rogando de educendo milite, per eosdem pulsus & cjectus est. Dumque claves Templi eidem denegatæ fuissent, januas Sacristiæ, & aliorum conclavium ferreas, magna vi militum perfregit: Parochiam & Scholam cum pertinentiis occupavit, textoribus Polonis ad habitandum introductis.
Similiter in Suburbio situatum Xenodochiale Templum per Tricesimatorem Bartfensem, decussis seraculis, & effractis januis occupatum. His peractis Comes à Volkra Ministros Ecclesiæ in privato commorantes, ex bonis eorundem summè devexatos, extorsis ab iisdem reversalibus, sub amissione capitis & bonorum in exilium misit. Sed necdum malorum finis, jam enim destituti exercitio Religionis, nescitur, ob quales prætensos excessus Anno 1674. Judex, Senatus, Communitas Evangelica, Ministri Ecclesiarum, Rectores, Studiosi, & Mendicantes Posonium ad Delegatum Judicium citantur, ubi non modò in gravi pecuniaria mulcta aggravantur, sed & de occupatis modo prævio templis, Parochiis & Scholis transigere cogebantur: Idem Comes Volkra omnes Evangelicos in publicis officiis constitutos armatâ manu exauthoravit, in locum eorum Polonis, Profugis, aliisque advenis minus utilibus & idoneis substitutis.

Æquè Regiam ac Liberam Civitatem Cibiniensem Admodùm Reverendissimus Dominus Stephanus Kolosvary, stipatus certis militibus Germanicis, maximo clamore & strepitu armorum ac furore militari ingressus, incusso modo obvio Civibus metu, ut nemo ausus fuerit è domo sua prodire, rectà suos ad Parochiam direxit, pro repetendis Templorum clavibus, quibus raptis, Templa aperta & occupata, ministri ex Parochiis & Rectores Scholarum sunt ejecti.

Reliqua omnia Templa, ne unico in universo Comitatu pro Evangelicis relicto, quæ enumerare foret tædiosum, cum Parochiis & Scholis per varios subordinatos cum militia sunt occupata.

In Comitatu Zoliensi.

ANNO 1672. Magnificus olim Joanelli Montanarum Camergraffius, accersito Illustrissimo Comite Alexandro à Leszle, cum certâ manu militari, qui nocte intempesta, admotis mœniis Civitatis Neozoliensis scalis, more hostili utrumque Templum cum omnibus appertinentiis occuparunt. Posthac Ministri Ecclesiarum, cum Rectoribus Scholæ ad delegatum Judicium citantur,

ſub ſpecie Rebellionis minis adacti, ad certas Reverſales ſubſcribendas compelluntur, ita Parochiis privati, unus verò ſubſcribere renuens ad Triremes damnantur. Paulò, Templum Xenodochiale, cum duobus aliis ad Sanctum Spiritum vocatis, per Collaldianum, eumque Croaticum militem, unà cum Filiabus Szaszovienſi, Szent Jakabienſi & Taiovienſi, cum acceſſoriis ſunt occupata. Tacemus denegationem honeſtarum ſepulturarum & locorum, niſi magna ſolutione præſtita.

Anno 1673. Illuſtriſſimus Dominus Comes N. Collaldo certæ militiæ Croaticæ Colonellus in Regiam ac Liberam Civitatem Veterozolienſem, armatis manibus cum certa militia irruendo, Templum cum Parochia & Schola, cunctiſque appertinentiis occupavit, Plebano Catholico introducto.

Itidem in Regia ac Libera Civitate Carponenſi, Idem Colonellus cum ſuis militaribus turmis circà prænotatum tempus, propriâ ſuâ authoritate, Templum, Parochiam, & Scholam, unà cum univerſis appertinentiis Eccleſiaſticis viâ facti occupavit; Quæ omnia idem Colonellus, cum ſummâ conſternatione Nobilitatis & Civium egit, Circulum Civitatis, utriusque ordinis milite, ad quævis extrema Incolis inferenda parato (quaſi cum hoſte, non autem cum Chriſtianis, & Suæ Sacratiſſimæ Majeſtatis fideliſſimis ſubditis res gerenda eſſet) complevit. Senatusque ad Domum Prætoriam iracundâ denunciatione convocatô, cuſtodiam militarem ad formam areſti impoſuit, & quousque placuit, eundem detinuit.

Pari paſſu, per eundem Colonellum, Templum, Parochia, Schola, cum omnibus pertinentiis, unà cum Decima Parochis dari ſolitâ, Regiæ ac Liberæ Civitatis Breznobanienſis ſunt occupata: Patribus piarum Scholarum tradita, qui Patres, habita cum Judice & Notario ejusdem Civitatis, aliàs per Poſonienſem Cameram obtruſis, mutuâ correſpondentiâ, Evangelicos ad Proceſſiones Religioni Civium contrarias adigebant; Copulas matrimoniales non niſi pactato ære [illegible]tô inſtituebant: Ad recipiendam Religionem areſtis Evangelicos cogebant: Virgines in Templo ſine legitima cauſa iidem Patres colaphis percutiebant, indiſcriminatimque fœminas inter orandum caput declinantes, medio militum Præſidiariorum baculo percuti mandabant, aliis infinitis injuriis Evangelicos moleſtando.

In Civitate Libetbanyenſi, Templum, Parochia, & Schola cum pertinentiis. Templa denique in Oppidis & Villis ſubſequentia, partim per Milites, partim per alios ſunt occupata, utpote: Valaſtenſe. Superior Lehota. Oppidi Lipcse, cum filiali Moſtenicz. Prædajenſe cum Capella Jeszenienſi. Dubovienſe cum Capella Rasztokienſi. Sacti Andreæ. Lopeienſe. In valle Dominorum Templum, cum filiali Starahorienſi. Radvanenſe. Bagyinienſe. Haynikienſe. Buczenſe. Trujenſe. Osztrolukenſe. Bacſurovienſe. Dobronivenſe, Baba Szekienſe. Szaszienſe. Nagy Szalatnienſe, Ocſovienſe. Zolnenſe. Szamporienſe,

poriense. Csernense, cum Filiali Chrochoty. Ponikiense. Dubraviense. Micsiniense, unà cum Parochiis, Scholis, Xenodochiis, cunctisque pertinentiis sunt occupata, ministri Ecclesiarum ejecti & remoti.

In Comitatu Turoczienſi.

NOnnulli Sacerdotes cum Secularibus, adſcitis Ruſticis, & extraneo milite, vilipenſo Jure Patronatus, & prærogativâ Nobilitari, pro arbitrio quâdam deſpoticâ authoritate, tam in Eccleſiaſticis, quàm Politicis arrogatâ, in Nobilitatem & miſeram plebem ſævire, Templa eorum cum Parochiis & Scholis, cunctiſque earundem pertinentiis, ejectis miſereque tractatis Miniſtris Eccleſiæ occupare: Proprias ſepulturas in Templis habitas potioribus familiis, niſi ſolutô lytrô admittere, ſilvas prohibitias non modò ad neceſſitatem, ſed & in opprobrium Dominorum Terreſtrium ſuccidere, in vetitis fluviis piſcari, Scholarum & Parochiarum reſtaurationes, verſis iiſdem in Oenopolia, non curare, proventus etiam manu militari extorquere, ſervos ſuos ad perhibendam veritatem prohibere auſi ſunt; Si qui juſtâ ducti causâ Sacerdotibus ad vota non erant, mox ſub excogitato colore, vel ad Sacram ſedem citabantur, vel inductis militibus omnibus bonis exuti, ad nutum Sacerdotis percutiebantur. Prout præmiſſa omnia, & his ſimilia Sacerdotes virtute prætenſi cujusdam, neſcitur unde orti Privilegii, cujus efficacia, neque Legibus Regni ſe ſubjectos, ejurato omni metu pœnæ, dicere & facere præſumſerunt.

Templorum verò & Parochiarum cum Scholis ſeries hæc eſt.

In Poſſeſſione: Felso Rutka. Felsö Zaturcsa.

In Poſſeſſione: Szent Martony. Szent Peter de Turocz. Pribrocz. Jeszenicze. Laszlo falva.. Ivanka falva.

In Oppido: Tot Prona, cum Filiabus Rudna & Jeszonova.

In Oppido: Szkleno. Felsö Stubnya. Szent Mihaly, cum Filiali Dubova. Hay, cum Filiali Alſo Stubnya. In Oppido Moſſocz. Eccleſia S. Andreæ. Neczpal. Bela. Nagy Jeszen. Eccleſia Divinæ Helenæ. In Oppidis: Szuczan. Turan.

In Comitatu Abaujvarienſi.

IN Regia ac Libera Civitate Caſſovienſi Evangelicus Status, etſi Suæ Majeſtati fideliſſimus, graviſſimè reſentis, tàm Spirituales, quàm Politicas Libertates ejusdem, contrà Sacra Diplomata, ac Conſtitutiones Regni eſſe ſubverſas, dum Templa eorundem Auguſtanæ Religionis, cum Parochiis & Scholis, armatis & potentiariis manibus per Reverendiſſimum quondam Dominum Franciſcum Szegedy Epiſcopum Agrienſem, ejectis miniſtris Eccleſiaſticis, & Rectoribus Scholarum ſunt occupata: Non obſtante eo, quod Anno 1649. Articulo 12. ſancitum ſit, ut ſtatim ſoluta iſta Diæta, in Civitate iſta ſufficientia loca, pro Templis, Parochiis & Scholis, ad rationem Dominorum Catholicorum & Helveticorum exſcindantur: Inſuper etiam Articulo 38. ejusdem Diætæ, Vene-

rabili Capitulo Agriensi residentia, cum libera domorum emptione concessa esset; quam excisionem urgentibus tàm Capitularibus, quàm reliquis Dominis Catholicis, & Helveticis, Gloriosus Majestatis Vestræ Sacratissimæ Genitor Anno 1650. medio Excellentissimi olim Domini Comitis Pauli Palffy Regni Hungariæ Palatini, virtute Commissionis, exequendam & adjustandam benignè decreverat: Quemadmodùm Idem olim Dominus Comes Palatinus, tàm Catholicis, quàm Helveticis idonea & sufficientia loca pro Templis, Scholis, & Parochiis ibidem effectivè assignasset. Templis verò majori & minori cum Accessoriis, Evangelicis Augustanæ Confessioni addictis permanentibus. Anno verò 1673. per Comitem Ferdinandum Theophilum à Volkra, eotùm Cameræ Scepusiensis Administratorem, Schola Helveticorum, pulsis Rectore, & Studiosis, pro Residentia Annonæ Commissarii occupata est; Templum verò propriis eorundem Helveticæ Religionis Evangelicorum sumtibus & laboribus ex fundamento exstructum, dùm pro precibus matutinis die quâdam peragendis patuisset, Idem Comes adjuncto sibi egregio Sigismundo Holo, præfatæ Cameræ Consiliario, clanculariè subingressus, illud occupavit; Ministris Ecclesiasticis post ad Judicium Delegatum Posonium citatis. Sed nec hic substitit præfati Comitis à Volkra inexplebile ergà Evangelicos odium, nam omnes Senatores, & alios peculii Sacræ Coronæ Regni dictæ Civitatis utiles, benemeritos, intelligentes, ac Suæ Sacratissimæ Majestatis fidelissimos Evangelicos Officiales, propriâ authoritate, præjudicio Privilegiorum, sine omni culpâ veluti inhonestos exturbavit, in quorum loca Nobiles in fundo Civitatis nulla Bona habentes, ex aliis locis vocatos, minus idoneos, pauperes obæratos, nonnullos acceptis donariis substituit, quorum aliqui privata curant, alii negotia Civitatis nec intelligere, multò minùs occurrentibus occasionibus rationabiliter eadem procurare ac dirigere queunt, cum summâ damnificatione, ac eversione Civitatis, quæ jam ipso actu Majestatis Vestræ Sacratissimæ, & Sacræ Regni Coronæ primarium peculium non sine lacrymis resentit. Hoc idem Camera Scepusiensis in termino electionis Senatus per Commissarios suos in eversionem Libertatum & Præjudicium Privilegiorum super electione Majestatis Vestræ Sacratissimæ Gloriosorum Prædecessorum Civitati clementer elargitorum, etiam nunc factitare præsumit.

In Oppidis: Szepsi. Göncz. Szánto.

In Possessionibus: Cassa Uy falu. Rasš. Benyék. Vaykocz. Rozgony. Olchvar. Böd. Szinye. Györky. Osva. Bogdány. Szalancz. Mislye. Huttka. Szeplak. Beszter. Lengyel falva. Barcza. Zebes. Enyiszke. Szina. Gecse. Sadany. Uyvar. Füzér. Kapolna. Kajata. Redmecz. Vaghas. Mikohaza. Telki banya. Göncz ruszka. Tornyos Nemethy. Nadasd. Kenyhécz. Miglécz. Hécze. Kollat. Vilmany. Visoly. Bodokeö. Uy falu. Alpar. Dopsza. Somogyi. Makrancz. Csecs. Nagy Ida. Kis Ida. Pany. Miszloka. Tökések. Szurdok. Meczenzeff. Bodolyo. Radvany Bossa. Komlos. Fony.

Templa

Templa, Parochiæ, Scholæ, cum appertinentiis suis in universo Comitatu, quorum plurimus numerus, per Magnates, Camerarios, Clericos, Jesuitas, ubique armata & potentiaria manu, adscitis militibus prædæ asſuetis & inhiantibus sunt occupata, Ministrorum Evangelicorum, & Rectorum Scholarum plurimorum res in prædam conversæ & distractæ, ipsis in exilium diversis extractis Reversalibus pulsis & ejectis.

In Comitatu Szatthmariensi.

NOn sine animi dolore proponit Comitatus Szatthmariensis, quod Patres Jesuitæ Residentiæ Szatthmariensis, portionem possessionariam Berencse vocatam, unà cum certo molendino in Comitatu Szatthmariensi habitam pia Legatione per Illustrissimum quondam Dominum Franciscum Reday, de Kis Rede, pro subsidio Juventutis Scholasticæ Szatthmariensis collatam, & aliquot annis pacificè tentam atq; possessam, sub his motuum decursibus, ante videlicet quadriennium viâ facti violenter occuparunt, & de præsenti manu violentâ tenent.

Similiter cum quarta Decimalis frugum & vini ab antiquis semper temporibus Ministris Ecclesiarum Szatthmariensium & Nemethiensis, Evangelicis exigi atque dari solitâ, prout etiam proventus molendini Suæ Sacratissimæ Majestatis super fluvio Szamos dicto, inq; Territorio Szatthmariensi exstructi Sabbathalis, iisdem Ministris Evangelicis, sub his motibus, per Officiales Altè memoratæ Majestatis Regiæ, ibidem successivè constitutis denegarentur, subtraherenturq; ac Patribus Jesuitis assignarentur.

Templa in Arce Szatthmar & Ecsed, cum Parochiis & Scholis, per militiam Suæ Majestatis Germanicam sunt occupata.

Item: in Oppido Gyarmath, Tarpa, ac Penighe, Templa, Parochiæ & Scholæ per Illustrissimam quondam Dominam Sophiam Bathori sunt intercepta.

In Comitatu Beregh.

ILlustrissima quondam Domina Sophia Bathory, medio hominum suorum ad id exmissorum & deputatorum sequentia curavit occupari.

In Oppidis: Munkacs unum Templum, duas Parochias, & Scholam cum Xenodochio.

Similiter in Bereghszasz Duo Templa, duas Parochias, & Scholam cum Xenodochio.

In Vary & Beregh Templa cum Parochiis & Scholis.

In Possessionibus: Janossy. Bereg uy falu. Munkacs. uy falu. Gath. Guth. Davidhaza. Rakos. Szent Jvany. Kis falu. prout & reliqua in bonis aliorum Dominorum & Nobilium, cum Templis, Parochiis & Scholis sunt occupata.

In Comitatu Barsiensi.

